BIBLIOTHEQUE

DE

HOULBEC





Guill. Postel publia en 1543 son Euclide chrétien sous ce titre : Sacrarum apodixeon, &c. petit 8°. de 56 feuillets y compris le Frontispice, l'Epître dédicatoire, adressée au Pape, aux Cardinaux et aux Evêques. Elle est très Curieuse. L'auteur y parle d'abord avec modestie : Siquid operae &c ; mais il se dément presqu'aussitôt : vis argumentorum &c.

Par cette raison sublime il entend sans doute le St. Esprit même.

Il ajoûte id circo ad vocationem &c. ce qu'on doit entendre par le dessein où il étoit d'entrer dans la Compagnie de Jesus.

Le Nom de Postel ne se trouve qu'à la tête de l'Epître dédicatoire.

— Ce livre est fort rare. Il fut vendu 9tt chez M. Colbert en 1728, rel. en veau fauve et 12tt. chez M. Gaignat en 1769.

Gi
tia
pati
Ex
Div
se
Sig
tal
gt
D
d.

SACRA-rum apodi-xeon, ſeu Euclidis chriſtiani Lib. II.

Gpuillelmo Postello auctore.

PARISIIS

Excudebat ipſi authori Petrus Gromorſus ſub Phœnicis ſigno, iuxta ſcholas Remenſes

1543.

gratianus thubriat.

Sacrosancto ecclesiæ Iesu Christi magistratui summo Pontif. et Cardinalium pontificiumque collegio Pacem in domino, Guliel. Postellus optat.

QVum iam à Iesu Christi temporibus sanctum Euangelium in uarijs mundi partibus annũciatum paucos admodum habeat ubiuis gentium sectatores, eosque aut parũ sincera doctrina aut uita non satis laudabili, mihi sane id in causa esse uidetur, quod eo cæcitatis mortales pastorũ luxu & socordia uenerint, ut illis uerba salutis uileant, aut quod in principio non satis firmiter persuasa errorique admixta in fabulas errores & hæreses sensim abierint. Quod uero quum à multis medio in orbe Christiano tantum non contennantur, à perpaucis uero externis recipiantur, illud mea sententia facit quod hæc contra rationem uidentur sola authoritate niti. Quare hac tempestate qua à multis etiam certißima in dubium uocari solent, nil mihi prius faciendum uidetur, quam ut summa rerũ in quarũ fide humanæ naturæ salus posita est etiã rationibus à supellectile philosophorũ desũptis potißimũ ut basis religiõis inculcetur, ut id fide & demonstratione imbibant homines: Nõ posse ullũ hominem salutem consequi, nisi deus homo factus esset. ad misso enim seu fide seu probatione seu utroq; simul hoc fundamento necessario quibus rationibus id factum oportuit concipietur & ita quiduis aliud facile Iudæis Muhamedicis Ethnicisque suadebitur, quum alioqui authoritatibus reuinci nequeant. Licet itaque (ordo

ſanctißime) iam hoc argumenti attigeram in prima editione primi libri de orbis concordia, locupletauique in ſecunda, tamē quia cardo totius ueritatis in hoc uertitur: quod neceſſario requiratur ad ſalutem hominis mors hominis dei, ideo ualidißimis rationibus decem aut duodecim id ſuaſum uolui. ſi quid operepreciј fecerim in hoc dei donū eſt, alioqui mea temeritas. Ita poſt ſcriptos quatuor libros de orbis concordia quodam impetu ſpiritus actus ſum in hæc argumenta ut de illis (teſtis eſt mihi deus) nunquam ante cogitauiſſem quam illa ſcripſerim. Conſcientia anteactæ fœdißime uitæ diſſuadet in maleuolam animam poſſe intrare ſapientiā: uis argumētorū nihilominus docebit à ratione ſublimi hæc profecta. meipſum ut ingenue fatear in hac re ignoro. Breuitas operis faciet ut facile ſecundū inſtitutum meum poßit in linguas peregrinas transfundi: idcirco ad uocationem dominicā abiturus, uobis tanquam cooperaturis ò Chriſtianæ religionis primores hoc commendatum cupio. Quumque hoc extra eccleſiæ probationē ſit ueluti mortuum & ad ſpiritum commouēdum ineſficax uos per illius nomen ad cuius honorē ſcripſi obteſtor ut ſi dignum eſt ſinu eccleſiæ, ſouere & recipere dignemini miſeroq; authori bene precari: ueſtro enim ſuffragio non dubito futurū ut cum eo cooperetur gratia ſpiritus ſancti, quam nobis impartiri Ieſus dignetur. Valete dominumque meßis orate ut operarios in uineā ſuam mittat. Meßis quidem multa & meſſores multi ſed operariј pauci. Pariſiis 1543. Cal. Nou.



Voniam ſum conatus quamdiligentiſſimè potui libro primo de orbis concordia ea tradere, quorũ cognitio nõ ad ſimplicem tantum rerum ſpeculationem ſeu ad ingenij oſtẽtationem more obſcuritatis naturalis pertinet, ſed ad ſingulorum uniuerſorumque ſalutẽ maxime ſpectat, nunc ut liquido pateat quam ſint illa & innumera quæ ab illis deducuntur uera quamque ad uniuerſi ordinem perfectionemque neceſſaria, licet ad hanc diem ſuaderi reuera nefariæ mundanorum laruæ denſiſsimis tenebris obtectæ ſponteque cecucienti non potuerint, denuo nouo familiariſsicque docendi genere tractare decreui. ut autem noſtri temporis impietas ἀποσχσίας quæ ſibi uult omnium fidem tantum non ocularẽ fieri, ſibi faciat ſatis, ea ſumam elementa quæ ſi negabit plane cum ea non erit agendum, ſed ab eius ceruicoſa amentia ad totius orbis conſenſum prouocãdum. Merito enim amentiæ tũc damnabitur aut furoris, quum quæ in omnium notionũ cõparatiõe nouerit prius aſſenſu quã ratione receperit, ſi hæc in rationem deducta, atque ſine ulla authoritatis uana ſuſpicione demonſtrata, credere recuſet. O amentiam miſerrimi animantium. Quum enim omnibus diſciplinis & cognitionibus hominumque quorumuis aſſertionibus fuerit ſitque aſſentiendum authoritate antequã ad rerum rationes uenias, quas merito prælibatæ fidei cõcipimus, omnibus mortalibus impij credentes, aſſenſum cohibent ab illis quæ ad hanc diẽ totus orbis nomine diuino probauit, ducti ut puto falſarum multarũ perſua-

ſionum ratione, quod uix ob parem ubiuis gentium cu iuſdam numinis authoritatem uerum inter multos tam diuerſos homines cultuſque uſquam appareat, ſed mera credulitas omnia ſuadeat & ut plurimum rudibus imponat, prudētes retineat. Imitabor plane Euclidis geometrarum principis methodum, licet mea elementa ſint ut plurimum à poſteriori notione ideſt naturæ magis quā nobis familiari, eius uero principia ſtatim aut ad aſſenſum moueant, aut cum illis agēdi facultatem adimāt qui ab illis aſſenſum cohibendum ducunt. Hoc ſum habiturus cum Euclide & omnium diſciplinarum tractatoribus commune, quod contra negantē principia non erit agendum, niſi forſam cōtradixerit, Tūc enim cōtra eū ita agi poterit ut oſtēdamus falſa eſſe quæ cōtra uerum affert. Sunt uero uulgatiſſima et paſſim obuia quæ primo in loco ſum ſcripturus, nec quicquā ab uſu cōmuni remotū ſuſcipiam, ſed adhibitis ijs per quæ quis in ueri cognitionē poteſt uenire, more peripatetico perquiram an ſit, quid ſit, in quos fines, et à quo ſit, Deinde ex conceſſis tentabo ad maiorē ueri lucem animum traducere. Verum quia iam conſtat res ipſas eſſe inter philoſophiæ alūnos in queſtionem uocare an ſint non ſtatui, niſi quædam obſcuritas dubitare coēgerit, ſed primum poſitis quibuſdam quæ eſſe nemo negauerit per earum diffinitiones ad officia proprietates, fineſque ueniā adhibitis in prima poſitione numeris, ut in ſequentiū inductionibus poſſimus adpoſito numero ſine repetitione uerborū inſtituta confirmare. Primo, licet cauſa et principium deberet eſſe prius in ſcripto ut et in natura, quā

effecta, tamen ut dixi quia à notioribus nobis naturæ autem ignotioribus ad minus nota nobis & notißima naturæ est procedendum, capiam primo in loco mundum. in secũdo deum, in tertio hominem. Erit itaque mihi instar puncti mundus ob ordinẽ solũ. Mundi definitio.

1 Mundus est quicquid est natura sublimi infima & media cõstans, à causa prima sui & hoĩs causa factum, honoris qdẽ sui & beneficij in hominẽ cõferẽdi gratia.

2 Deus est causa prima uniuersi effectrix, motrix, conseruatrix & innouatrix, mouens immobile, potens sciẽs arbitrio aut uoluntate, agens infinita, ui sui & hominis gratia omnia producens.

3. Homo est animal rationale mortale arbitrio libero præditum religionis capax, mundi & eius authoris in se habens imaginem, cuius causa mundi constat utilitas, imperium inferiorum habens.

1 Tres illæ descriptiones sunt attentius considerãdæ et excutiendæ ne postea in dubium poßint uocari. Mũdum omnia creata comprehendere nullus ambigit, ob id uocatus est à multis, Quicquid id est, quod constat uarijs & distinctis naturis id oculis patet, nam cæteris sensibus elementaris regio, oculus cœlestis concipitur. esse potentias separatas & intellectus à materia segregatos, quum in tota natura tũ potißimum in supercœlesti regione nec à Peripateticis nec à Platonicis dubitari uideo, liquido uero id probaui primo de orbis concor. Cap. de substãtijs separatis. nec Iudæus nec Muhamedicus nec Ethnici dubitant: tertia itaque mundi pars est adscribenda cœlitibus. Mundũ factũ esse hoc arguit

quod nil fit à seipso, unde causam habere opus est. Non frustra factum (quum sit res præstantissima) inde iudicamus, quod nil frustra fit in cursu naturæ & rebus ab arbitrio depẽdentibus. Quũ uero uideãtur omnia homini usu & fructu cedere, eius causa factum fuisse constat. Esse etiã dei gratia hoc arguit quod nil usquam à causa ulla liberum arbitrium habente fit, quin in admirationem cognitionemque et celebritatem causæ referri debeat soleatque. Inde naturaliter omnes homines et etiam quædã bruta sensu gratitudinis afficiuntur, quod cum à natura sit omnibus inditum, ut gratiam habeant beneficij, mutuoque se colant & obseruant clarum est quod est beneficentissimum id esse ab omnibus obseruãdissimum & imprimis honorandum. Nunquã enim deus omnibus ita dedisset eum sensum quin uellet eam gratitudinem maxime erga se obseruari. Vt autem quilibet mortalium id maxime agnosceret maiorique æstimaret statuit omnes licet à principibus natos neceßitatis legibus premi, ut quum rẽ sibi omnino necessariã utilißimãque collatam uident, maximas gratias datori habeant. Si enim more cæterorum animãtium factus fuisset homo, quomodo gratias habuisset datori totius, quum etiã quo maiorem ex toto utilitatem & gloriam consequitur ex omnibus naturæ partibus eo sit superbior & ingratior? liquet itaq; ex his bene constare descriptionem mundi.

2 Esse causam unam primo per se fœlicem immobilẽ omnia complectẽtem optimã potẽtißimã & ab omni parte beatam uideo ab omnibus communi sensu nõ destitutis non tantũ summis philosophis affirmari. Aeterno

illo motu materiam ad agendū non requirente (nam alioqui esset imperfectißimum quod sine alio etiam egeno agere non posset) creari formariue conseruari & substitui omnes naturas formis indies materie impactis constat, quum inter alios tum maxime inter peripateticos. Motus est permanēs deus a quo ueluti à scaturigine quicquid fit ordinate in natura procedit. Eodē uero motu uigēte in rebus arbitrio factis permittitur fieri quod inordinate fit, ut postea patebit. Esse uero in deo potētiam infinitam sapientiam & uoluntatem amorē ue ad finē cuius causa agit, patet, quoniā sine illis proprietatibus ab intellectu nil posset in esse deduci. Ea est sacrosancta trinitatis imago et proprietas prima diuinitatis sine qua nil creatur. tota diuinitas deus ue est in potentia tota in scientia cognitione uel sapientia tota in uoluntate amore aut ad finem affectione, nec potest confundi aut separari e a personarum propria nūcupatio. metaphoris & similitudinibus uocabulorum nobis familiarium nobis ista aperire deus uoluit. scaturiginem enim infinitam æterni motus quia prima intellectu concipitur patrem uocare sacre literæ solent à quo progressus potentie per omnium etiam minimarum rerum cognitionem ab æterno per modum eiusdem substantiæ non creationis uocatur filius, aut alio nomine uerbum, in quo tota diuinitas est non secus atq; in uerbo nostro tota cogitatio. uoluntas uero seu amor aut affectus ad res dictus est spiritus sanctus, aut digitus dei aut spiritus dei aut à philosophis mens mundi quæ quia iā procedit ab utraque præcedente, procedere non generari

dicitur. uerum de his plura in Cap. de trinitate lib. I. Diuina autẽ uirtus nil haberet solidæ fœlicitatis nisi libertate arbitrij prædita esset qua tam fœlicem ordinem rebus quum uellet inderet. Nam quæ nunc fiunt noluit ante fieri & que olim facta sunt noluit nunc fieri sed tunc fieri uoluit. Itaque licet sit deus actus purus nunquam agens in potẽtia sed semper actu, præfinit tamẽ tempora rebus quibus sint uel non sint. quare mirum est & Peripateticos & multos alios primi nominis philosophos eo uno argumento uoluisse æternitatẽ ideo mũdiali materiei adscribere, quod deus non poßit non agere. Non enim aduertunt se illi adimere potentiã, quã illi maximã dare conantur. Est quidẽ certe est actus purus, sed mente in se agere sine ulla mundi materia potens, ut nil illi ex materia facilitatis accedat preter tẽpus. Nam si ideo uolunt statim agere quod poßit sciat uelitque agere, quum ab æterno potuerit uoluerit & sciuerit omnia, oportebat in instanti omnia produci quæ iam à quinquies mille & 500. annis facta sunt consequutorie. omnia enim ab æterno præuidit mens mundi, est illi igitur nõ secus atq; nobis præter potentiam, sciẽtiam, & uoluntatem uel amorem (nam in hoc imaginẽ dei circuunferimus) ad res quas uolumus facere, temporis libera electio, quod etiã docui primo libro. Quod sui honoris et fœlicitatis hominis gratia omnia creauerit iam supra ostendi.

3. Homo differt ab angelis quod ratione & sensuũ adminiculo res in hoc corpore concipit & cognoscit, angelus autem quum sit intellectus non egens instru-

mẽtis sensuum cognoscit omnia in intuitu dei : mortalis est, ut morte sensus defecentur cum materia & demum uniantur denuo suo spiritui ut more intellectus corpus agat, quod postea docebo. Liberũ esse homini arbitriũ nullus unquam philosophus aut theologus negauit. uerum est, esse bene corruptũ ut uidebitur, sed si ea parte quæ est ĩ bonis præstãtißima careret homo cuius causa mundus factus est, esset ceteris animãtibus inferior miseriorque, quum ea quæ ad salutem & conseruationem faciunt, appetant, fugiantque ad corruptionem diligẽtius homine non quidem arbitrio destituto, sed ita occupato circa infinitas miserias quarum sibi author est, ut quæ alijs animantibus prosunt illi noceant, ueluti cibus, potus, res ueneræ, dominandi libido &c. solum animãtium est ideo religionis capax homo, quod ad gratiam summo deo referendã natura duce ob tam immensa beneficia animetur. Quanta est prouidẽtiæ potentia quãque miranda in μικροκόσμου compositione? ut est dominator super omnia animantia, ita nulla est natura quin de ea sit particeps, quod longum esset & superfluum nunc referre, quũ nullus id non tractauerit. Imago dei in eo est, in agẽdo potẽtia sciẽtia uoluntas quæ res una est, apprehensio, ratiocinatio, memoriaque res una est &c. ĩ aĩo et corpore ut attigi primo libro. cap. de trinit. cætera in descriptione clara sunt. Nũc capiã naturæ ordinẽ tria repetendo, causam, effectum, finem. uerũ quum ununquodque horum dicatur multipliciter, diuisio descriptionem præcedere debet. Causæ sunt multiplices primæ, secũdæ, remotæ, coniũctæ, certæ incertæ, patẽtes

manifestæ ac latentes, antecedẽtes cõnexæ impactæ ue. effecta sunt duorum generũ aut stata aut fortuita à patenti uel latenti motu fines item bifariam diuidi solent, in medios & ultimum.

4 Causa ut genus est, est quam aliquis effectus sequitur, aut sequi potest. Nam etiam deus est causa in potentia boni futuri quantomagis cæteræ?

5 Effectus est quod causam aliquam sequitur.

6 Finis est cuius gratia effecta à causa fiunt, est uero tantũ finis in effectis ab arbitrio procedentibus. porro arbitrium est in deo substãtijs separatis & homine. definitiones & explicationes causarũ sunt propalãdæ.

4 Primæ causæ multæ dari nequeunt. unde summã unam esse seu in natura seu in arte opus est, ad quam refertur etiã ultima. prima omnium causa deus, gratia finis omnia condens finalis causa est ultima in opere & usu, est prima in mente agẽte, cuius ergò sunt cæteræ. prima efficiens dicitur. inter utranque necessario intercurrunt duæ, materialis & formalis quæ quoniã seiũgi à rebus seu effectis nequeunt ideo propinquæ dicuntur eo quod in rei substantia sint, quum duæ extremæ possunt abesse. Certæ sunt quæ semper aut ut plurimũ eodẽ modo agunt, incertæ, contrariæ, latentes quæ rationi nõ subijciuntur, manifestæ que sensibus uel ratiocinationi patent, antecedentes que rem aut effectũ diu præcedere possunt in potentia, ut plethora morbum. coniunctæ ut inflammatio humorum in febri, simptomataque. Fato fortunæ & casui incertas adscribunt inepti, & quod ignorẽt etiam manifestas, uolunt has adimere ordinatæ

statæque potētiæ ueluti mensuram dei capere poßit qui sui nesciat.

5 Effecta stata sunt à natura & arte, cætera fortunæ & casui adscribunt, quod aliter euentura uelint, putent ue quam cōtingat. In rebus naturalibus quandoq; monstra fiunt materiæ peruicatia formis non obediētē. uerum deus illa omnia non minus uult ad hominum ueternum excutiendum sic fieri quam stata lege: monstra ideo & ostenta portentaque ueluti dei nuncia dixit antiquitas.

6. Vt autem prima omnium causa est deus, sic esse omnium postrema debet, quemadmodum qui domum construit author est et finis aut saltem usus finalis in eū referri debet. Sic deus immortalis causa prima, ut ad se redeat tanti operis honor & gloria fecit mundum, quū uero finis rerum creatarum sit homo, eius finem supra mundum esse necesse est. Nam prestantior est finis his quæ ad finem. Vnde æternitatis gratia hominē esse usqueadeo est intelligere credereque necessarium ut mūdum, & quæ artis sunt à seipsis sine causa ulla esse facta asseueret, qui hominem ut sit æternus, esse creatum negabit. antequā autem ad maiora ueniamus ulteriusq; progrediamur sunt nobis post tria nostra principia ponende cōmunes sententiæ quibus assentiri oportet nō secus atq; primis definitionibus seu descriptionibus sunt enim cuius in confesso.

1 Omne causatum aliquam causæ imaginē in se referre.

2 Facta à causa arbitraria seu electione predita ut

plurimum eodem modo euenire.

3. Per causę uoluntatem nunquam stare quominus res finem optimum consequantur.

4. Intellectum non impeditū præstantißimi finis gratia agere.

5. Malos effectus aut fines non posse esse ab agēte ex deliberatione non impedita.

6. Nil à causa arbitraria frustra fieri.

7. Esse præstantißimum cuius causa omnia fiunt prestantißima.

8. Meliora esse quæ sunt finis quā quæ sunt ad finē.

9. Vt in potentia primæ causæ omnes inferiores continētur, sic quicquid est boni esse implexū ultimæ causæ.

10. Vltimam seu finalem & primam causam necessario ante ueram fœlicitatem coniungi.

11. Bonum est quod omnia secundum naturam simpliciter appetunt, cuiusque gratia omnia fiunt.

12. Malum quod contra finem agit scopoque priuat fœlicitatis.

13. Medio genere est quod arbitrio in bonum aut malum uerti potest non re ipsa quæ peruerti non potest sed iniquo usu.

14. Virtutem esse summum presentis uitæ bonum, animi corporis fortunæ bona esse adminicula eius causa comparata.

15. Motum omnem quietis causa fieri.

16. In actione consistere uirtutem.

17. Virtutum premia esse uitiorum supplicia.

18. Premium non deberi nisi ex arbitrio agenti pari

ter nec penam.

19. Qui coactione tantum agit bonus dici non debet aut malus, sed à cōtrario si coactus tantum male agit ut plurimum bonus est, si bene, inter malos est habendus.

20. Præstantior est qui rem periclitaturam cui medeatur agit, quam qui timore instaurandi ab agendo desistit.

21. Præstantior etiam est qui rem refectam & instauratam perfectißimam & prima constructione non inferiorem reddit, quam qui semel perfectam construit.

Licet neminem putem his axiomatibus aut communibus sententijs refragaturum cui saltem recta insit ratio, tamen partim exponendi partim confirmandi gratia subnectam singulis exempla & probationes, ut omnino animo defixas teneat qui sequentibus uult proficere. Sicut enim negligenter transcursis aut etiam neglectis elementis impoßibile est Geometram fieri aut artis cuiuscunque peritum ita & hic putandum.

1. Quod omnia effecta referant imaginem causæ nō uulgarem sed perfectißimam illud uel prouerbium uulgare nullibi gentium non probatum ostendit. re enim quauis conspecta (bene uel male facta sit) id dicitur, opus declarat authorem, aut in opere uidetur artifex, aut tale opus qualis author. perfectißimam uero qualitatem artificis lucere in opere ideo fatendum est, quod omnia fiunt ab intellectu seu ratione quæ pars est in homine & tota natura inferiore præstantißima. quantum itaque ingenij uis potuerit in ea re quæ facta est magis patet. licet enim res imperfecta arguat etiā au-

thorem imperitiæ tamen quantũ maximæ peritiæ (quod ſummum in eo ad eam rem ſpectas eſt) habuerit oſtendit. Quum ergo uniuerſus orbis à ſe creari impotens (nam fuiſſet antequam eſſet ſi ſeipſum creaſſet) cauſam habeat perfectiſſimam deum, ut nulla gens non agnoſcit, nullæ literæ nec ſacræ, nec demonſtratiuæ nec hiſtoricæ non tradunt, ita nulla res non arguit. Vnde etiam opus eſt quandam eius imaginem in omnibus uideri rebus, & eam eſſe in eo præſtãtiſſimam quæ in inferioribus maxime uidetur, & ſine qua non eſſent. Vidimus autem in explicatione deſcriptionis dei, ſine potentia, cognitione ſeu ſapientia, & amore ſeu ad res ipſas quas condidit affectu & uoluntate nil plane potuiſſe creare, nam ſi nil potuiſſet nil creauiſſet ſi potuiſſet & non ſciuiſſet nil pariter, niſi quis autẽ poſſit ſciat & uelit nil facit. opus eſt ergo iſta omnia præcedere in deo, nec poſſe ſeparari nec cõfundi quin in qualibet actione concurrant, licet miſericordia iuſticia bonitas magnitudo pulchritudo &c. fœlicitatis dotes aliæ innumeræ ſint ab æterno in eo, non poſſumus tamen illas cõcipere quin prius tres illas proprietates in quibus tota diuinitas una in ſingulis & una in omnibus eſt, cõprehenderimus. Conſtabit uero maxime ita eſſe & fidem Chriſtianam de trinitate ſecũdum naturam tradi quum hoc myſterij ita in omnibus creaturis uidebitur ut nulla poſſit ſuum eſſe conſeruare niſi eius trinitatis nexu. Iam per totam naturam quæ animo concipitur diſcurrendo uideamus. Vniuerſum quum ſit unum triplici tamen natura conſtat licet diſſimili. Nam eſſe intellectus materia

exortes supra regionem cœlestem & in tota naturæ potentia nullus naturæ admirator negare potest. est enim ante materiam intellectus potens fieri omnia concipiens omnium rerum formas in archetypo. motores orbium & dæmones admittunt ueluti in natura necessarios philosophi Peripatetici & Platonici qui mihi instar omnium sunt. tradunt sacra angelos dæmones & animos separatos. sed de his postea. satis est ibi esse naturā cœlo maiorem. De cœlo nō ambigitur. multo minus de elementis palpabilibus. naturæ cœlestes potentiam repræsentant, cœlum cuius circumactu uegetari uidentur omnia omnium scientiam refert, ut cuius actionem nil hic effugiat. loco uoluntatis & effectus amoris diuini sunt ista quæ perpetuo in motu sunt. effectaque & sunt & procreant, ui duorum superiorum, dirigentibus primis, secundis mouentibus ob id spiritum sanctum uocāt sacrorum eloquiorum mystæ dei digitum, a quo res ueluti manu palpatæ formam concipiunt. ut enim uoluntas & amor seu affectus ad rem statim quum adest facultas agit, ita per dei uoluntatem supra temporaneam temporarie hic effectus fiunt naturales formis materiæ impactis. licet enim ob materiæ differentiam sit quædam dissimilitudo, tamen proprietas per omnia conuenit. uerum longe clarius erit in particularibus. Angelica natura quoniam habet liberum uelle cōstat intellectu uoluntate & utroque iuncto. si uero illud debeat dici materia & forma ambigunt nonnulli. de uerbis nil dicam unum id clarum est quicquid est creatum quum à se nō habeat esse, aliquid loco formæ & aliquid loco materiæ

habeat oportet. Cœlum quanuis etiam dubitent de ma=
teria & forma eius constat tamen materia quam αὐτότητα
Græci uocare possent nos ipsitatē, aut eccitatē fingere
non auderemus, sed ut melius dicamus constat cœleita=
te & cœlo. Quum dico cœlū (ait Aristoteles) dico for=
mam, quum dico hoc cœlum, dico materiam. cœleitas
ergo est forma hoc cœlum est materia unde componi=
tur natura illa. forma dat esse rei. opus est ergo præexi=
stere materiam & formam ante cōpositum. Licet quæ
sunt supra elementa cognoscamus priuatiuè, tamen ne=
cessario ita esse cognoscimus. siquidem in sapientia di=
uina omnium rerum imago priusquā in re fuit. Iam ad
magis familiaria accedamus. Sol ipse constat corpore
radijs ui, & ueluti à patre idest à potentia generatur
filius & ex utroque procedit uoluntas amor seu affe=
ctus & effectus, ita à centro solis procedunt radij &
à radijs & sole calor seu uirtus in inferiora agens. ue=
rum prætérquam quod constat ille materia forma et cō
posito ut cætera omnia, agit corpore radijs ui, habet e=
tiam similiorem imaginem diuinitati: nam habet inex=
haustam lucendi potentiam a qua procedit incessabilis
uis lucendi à quibus procedit cum delectu amoreq; uis
actionis. In hoc tantum dissimilis est creatura deo quod
æternitatem in actione seu potētia per se nō habet, deus
autē æterna uis est. exemplum uero dei in sole ueluti e=
ius uicario oculis obnoxio uidetur. ut enim tota diuini=
tas est in potentia tota in sapientia tota in amore quum
tamen una tantū sit diuinitas, ita tota natura solaris est
in ipso corpore solis, tota in radijs, tota in ui ab utroq;

procedente. Similiter tota natura est in potentia formæ tota in materia & tota in composito ab utroque procedēte, similiter de agendi copia potentia ue. nam tota rerū natura est in ui, tota in progressu, tota in delectu, quum tantum una sit. Eodem modo uirtus naturalis cōstat substantia proprietate actione, Nil enim fit in natura frustra, quin si applicaretur ubi potest agere quādiu ea natura durat agat, inexhausta ui, progressu et delectu. hoc notat magnes uim suam diffundens in partes ferri infinitas quū in eo nil diminuatur, & scit ferrū ut agat deligere, imo tam probe ueluti cognoscendo diffundit uim suam & ueluti iudicat, ut ferrum indicet esse in occultis & abditis. Quod ostendit ligula horoscopij statim eo conuerti solita ubi ferrum est, etiam ultra multos parietes, ob id non petit amplius polos, ubi ferrum alio torquens adest. idem est de tota natura iudicandū. nunquam fastidit actionem semel accensus ignis, & modo adsint fomenta progreditur indefessa actio deligens magis sicca & ad urendum apta ligna aut quiduis aliud. eadem ratione ars est inexhausta artifici, & quo magis agit magis uegetatur. ea lex est simplicibus medicamentis quandiu sua natura ualent. imo tam est mirabilis imago dei, ut etiam post separatorem omniū partium elementorum ignem scilicet, agant cineres. mirabilis deus in maiestate sua. Quid dicam de rebus artificialibus seu ab uno seu à pluribus fiant? tota res facienda est in mente artificis, tota in explicatione, tota in opere. quum una tantum sit. tota hereditas in mente, tota in instrumento, tota in loco.

Tota pax publica in sacro magistratu, tota in profano seu ciuili, tota in iudiciario ab utroque procedente quum sit una pax. Si uero miracula animi respiciamus, res totas in apprehensione totas in ratiocinatione totas in reminiscentia cernemus. & in hoc magis elucescit diuina imago, quam in corporibus. nam in se habent diuinum ternarium sine accessione ad materiam quæ sunt spiritualia. Bruta imaginantur cogitant recordantur, sunt enim duobus gradibus infra hominis mentem, quæ colligit & reminiscitur præter cætera cum brutis cōmunia. Quum itaque uideatur tanta potentia in creaturis omnibus, eaq; inexhausta, quid de authore iudicandū? quum omnia igitur certo suo modo trinitatem in unitate in sua natura habeant, nonne certo certius constat authorem ipsum licet nobis re ipsa incognitum (nisi per priuationem remotionemue) habere trinitatem in unitate, & unitatem in trinitate? facessant igitur impiæ persuasiones nugæque philosophorum & colla uero submittant.

2. Quod facta à causa arbitraria & uoluntate constanti eodem modo eueniant ut plurimum, declarant opera nostra. Nam sutor uolens facere calceum semper facit calceum, faber domum, latomus murum, sartor uestem & sic de similibus, unde cōstat à posteriori quicquid est ordinatum & constans habere causam per uoluntatem regulantem suos effectus. quum enim nulla res seipsam creet, nec posit arbor aut planta seri ab alia, cōstat à dei uoluntate stata fixaque omnia esse accipere, etiam quæ coitu propagantur. si enim esset in

homine positum ut quum uellet generaret, iam pridem tota natura defecisset, aut se multitudine obruisset. est igitur eorumdem effectuum eadem constansque causa; permitteret quidem naturæ materiæ suam peruicaciam ut dissoluatur uarijs casibus præscitis deo uinculum.

3. Sequitur inde tertij axiomatis claritas. Quum enim stata fixaque sint quæ ab ordinata causa fiunt, cōstat non authorem sed permissorem peccati aut mali esse deum. nunquam enim impedit quominus res finem consequantur, aut facit ut in contrarium abeant, nisi quum uult in res quæ suapte sponte periclitantur, nec uolunt petere scopum, quum agat uoluntate & non necessitate potest multo minus ostendere beneuolentiæ ut intelligatur id eius esse beneficij, quod quando uult non dat. nec sunt deo noui affectus ut impietas nugatur philosophica, quum pro sua liberalitate minus solito seruat corpora, ut peste quæ nunquam non obsidet, aut bello, quo nunquam carent cupiditates nostræ conficiantur, aut sata minori copia diuexent fame. Ob id naturaliter qui etiam sub falsis agunt religionibus in peste bello & caritate annonæ recurrunt ad deum. Quum omnia præstantissima causa agat præstantissima, & quo meliora fieri non possunt, effecta faciat necesse est. unde quidem constat necessario malum authore deo non fieri. dico malum proprie & primo. Nam malum est in culpa & peccato quod reuera natura malum est, aliud malum est pœnæ quod ex primi merito procedit, aliud est ex paterna beneuolentia ut ad se redeant in secundis rebus elati homines datoremque eum agno-

ſcant qui priuare poteſt. duo poſtrema quoniam ſunt iuſticiæ & pietatis à deo fieri non eſt dubium, ut quod deſinebat ſcopum petere, eo conducatur ueluti collateralibus repagulis & carceribus. primo enim erro in uiam reducitur, altero, crebro uir bonus torquetur ut conſiſtat fortiter. Vtroque remedio ueluti iuſtißimo docuit deus humanam prudentiam uti. primo in ſontes ob culpam animaduertunt iudices, ſecundo naturaliter uident parentes ubiuis gentium eſſe eo minus bonos & minus morigeros liberos, quo magis licentioſæ educãtur. Vnde illud, caſtigat deus omnem filium quem diligit. caſtigat & prudens pater non ut à uitæ ſcopo dimoueat, ſed ut ſalubrius eo pergat. e diuerſo in quos nec deus nec parentes animaduertunt ſi ſecundæ res adſunt, ſolent & dedecus deo parentibuſque & ſibi ruinam moliri, præcipiteſque in omne flagitiorum genus ruere.

4. Intellectum præſtantißimum non impeditum agere modo agendi præſtãtißimo, inde iudicare poſſumus, quod à magnis & ſapientibus uiris quum facultates uoto obſequentes adſunt res maximas fieri cernimus. iuuari reſp. pauperibus ſuccurri, doceri ignaros, cõſtruere neceſſaria ædificia, uti põtes, pauimenta, aquæ ductus & ſimilia opera, quorum utilitas ad multos aut omnes aut uniuerſos ſpectat. Quum autem ſit deus omniũ præſtantißimus etiam præſtantißimi finis gratia agere oportet præſtantißima. Mundo nil præſtantius cogitari poteſt, ergo nec fine ipſius. atqui omnia hominis cauſa creata in hoc mundo cernimus. Quum uero nulla res

ſit idem cum ſuo fine (res enim & eorum fines differre conſtat) oportet aliquid & mundo & homine præſtātius eſſe finem hominis. at præter mundum & hominem nil præſtantius dari deo poteſt & æterna immortalitate. Conſtat igitur ſummum finem & ſummum bonum hominis eſſe æternitatē & coniunctionem cum deo. Quū uero finis & quæ ſunt ad finem differant, homo pro ijs que ſunt ad finē debet habere quæ ſunt in mundo præſtantiſsima. nam ut omnes res naturales & artificiales habēt duo tempora, unū in fieri, ſeu dum fiunt, aliud in fructu, ſic mundus habet ex analogia duo tempora, primum motus & alterationis (ut nunc eſt) alterum æternæ quietis gratia. ita homo habet hac in uita præſtātiſsimas uirtutes, in futura æternitatem, qua nil maius cogitari poteſt. Virtutibus uero uti debet erga res præſtantiſsimas. Nil autem poteſt maius in orbe homine reparari, nil ſupra mundum deo. Virtutis ergo actione in ſe & homine altero atque deo utendum eſt, ſecundum neceſſarium utile uel honeſtum. duo prima non competunt deo in quem nec neceſsitas nec utilitas cadit ut ample diuitem. Honor igitur illi ob tanta beneficia debetur maximus. quum uero ſit potentiſsimus ſapientiſsimus optimus, iuſtiſsimus, cum honore timor maximus ob potentiam, humilitas & abiectio maxima ob ignorantiam & noſtras tenebras, gratiarum actio ob beneficētiam, miſericordiæ expoſtulatio ob iuſtitiam a qua decidimus illi debetur, & innunera alia quibus in potentiſsimum iuſtiſsimum optimumque benefactorem uteremur. Quū itaque ſit quiſque ſibi proximus primam officij rationē

exposcere debet sui gratia, idque conari ut per omnia sit deo dignissimus filius, illique quantum fieri potest similimus. deus in primo loco est usqueadeo innocens ut nemini iniuriam inferre possit, ita beneficus ut omnia suis beneficijs obnoxia habeat (quæ debet homo in quē redundāt) det omnibus, à nemine accipiat. At quia duo postrema in omnes non potest homo exercere homini impotentissimus natura, sat erit innocentiam ita seruare ut potius moriatur quā quicquam contra conscientiam uel debitum suum committat. Reliquum, tota eius cogitatio, tota cura in hoc incumbere debet, ut sit cuiuis alteri homini ueluti eiusdem patris filio ac proinde fratre charissimo & in eundem scopum nato utilissimus. præstantissimum itaque uirtutis genus est in primis innocentissimum se custodire, deum per omnia honorare, reliquos homines quocunque officio iuuare cum summa charitate. neceßitatibus uidelicet animi primo, secundo corporis illi quantum possumus succurrere. hoc est in uita præstantißimum. Quæcunque uolueritis ut faciant uobis homines eadem & facite illis. uos filios dei agnoscite, patrem deum colite. æternitas in principio, uirtus in medio, æternitas in fine, non quidem dei tantum, sed ueluti nouorum deorum hominum sanctißimorum. Sunt illi fines qui à præstantißimo intellectu sunt, in eo, ab eo, per eum. De officij ratione quam sit multiplex & uarium satis constat. uerum uix unquam fiet ut poßit à scopo recedere quisquis omnia agenda examinauerit secundum illa tria innocentiam sui, honorem dei, & officium in proximū, idque cum fi-

de spe charitate. nam tres illæ sorores nunquam ab officio perfecto abesse possunt.

5. Supra iã satis docuimus, malos effectus idest qui ex sua natura mali sint (qualia sunt peccata quoniam sunt extra ordinem iustitiæ) non posse esse a deo. Quia quum sit deus author habitus ut iam dixi non est contrarij seu priuationis causa. Ideo multi sanctißimi homines uocauere peccatum, idest actionem quæ naturã aut legem seu intellectus seu scriptam uiolat, nihil: & non immerito, quoniam facit peccatum non ens. i. nihil. quum enim nunquam fiat peccatum sine materia concurrente deprauatione mentis primo aut etiam uerbi aut etiam operis, & materia ipsa sit adeo bona creata, imo ita perfecta ut malum à materia esse non poßit, non oportet dicere peccatum esse aliquid materiale, sed actum priuatiuum, hoc est nihil. Verbi gratia. Qui superbit sibi adscribẽs quæ deus dedit uult esse loco dei & deum esse nihil. Qui alienam appetit uxorem quod nollet sibi fieri committens, leges & animi & scriptas uellet esse nullas, & quod in se est cassat, infringit, abrogat & annihilat. ideo deo nil magis contrarium est peccato, tã tum abest ut poßit abeo esse. Quum itaque deus sit omnis habitudinis author, peccatum adnihilationis: est tam graue ut minimum peccatum totius mundi sit infinito supplicio dignum, eo quod contra dei maiestatem insurgat, eamque suo de cœlo deijcere nõ uereatur. præterea quum sit creatura quæ peccat, ideo infinitum peccatum committit, quod sit ei impoßibile illud expiare pro iustitia, quum deus sit iustißimus & creatura finita

quæ infinitum malum commisit. Satis patet quum nil sit tam contrarium deo quam peccatum, nec habere materiã quum sit omnis materia à deo creata optima, nec esse posse à deo qui est author habitus & æquitatis tã institæ quã emendatæ. Siquidẽ sunt uincula mundi recta uidelicet ratio in unoquoq; hominũ ita posita ut ne tantillum quidẽ aberrare à iustitiæ scopo poßit quin à seipso nequitiæ arguatur. Non est quod conqueratur homo se excusando quod non intellexerit. habet sapientissimũ in peccatorem iudicem & increpatorem qui arguat non cogat. licet enim post Adamum ea iudicandi pars sit multum læsa, tamen nunquam ita fuit deprauata quin iustum & iniustum suggerere potis fuerit. id differt inter utranque conditionem, quod Adamus ante peccatum poterat & bene cogitare & bene exequi cogitata, eius posteritas malum nouit, egre mederi potuit, imo nec potuit reuera, nec profuit nisi in uirtute uenturæ aut incarnatæ sapientiæ dei.

6. Nil à causa arbitraria frustra fieri ideo dixi, quoniam casus & fortuna (ut potius debet uocare quam credere pius homo) non uidentur agere in certum finem. Ignoratio nostri intellectus, non secus creauit ex uulgari opinione locum casui, quam miseri & falsæ uoluptatis umbra deliniti faciunt fortunam deam cœloque locant. Quisquis enim creatorem curam rerum humanarum habere crediderit, nunquam admittet quicquam licet uideatur ei absurdum & in specie iniquum fieri extra potentiam dei, maletque sui intellectus inopiam quam diuinæ sapientiæ copiam inculpare. Quum enim

multarum etiam uulgarium rerum causas nos uulgo ignorare uideamus, nec quicquam reuera sciamus nisi ex quadam historia & uidendi consuetudine, tanquam omnia ea quae deus ad suam laudē facere potest noscamus diuersam ab eo causam imprudētißime adferimus. Verū nec casus nec fortuna sub potentia prouidentiae omnia sapienter administrantis sunt admittenda uiro pio. Ad rem ergo, Aristoteles ait, ars & natura nil faciunt frustra, quod quidem non est bene positum. nam natura quum parere motori habeat uelit nolit, praeterea sit destituta cognitione & ratione cognoscendi (quod melius) non potest esse causa inferiorum effectuum. deus igitur daemon & homo agunt sola in certum finem & scopum. Verum libido anteuertendae & praeoccupādae humanae faelicitatis, misera & more belluarum à sola corporis faelicitate pēdens sepißime aberrat à ueri scopi lege, postmissoque rationis iudicio ea sola cogitat quae ad cupiditatem suam faciunt, honores, uoluptates, & suā utilitatē iustitiae praeponendo, quo fit ut fere totus orbis pereat & à uera faelicitate decidat, dum illam annihilare uolendo mortalem & tēporariam immortali anteponit. Ita praepostero & deprauato iudicio agens nunquam scopum attingit, sed uerum perdit & falsum sequitur. posset itaque hodie dici, homo omnia facit frustra. Sibi quidē quasdam umbras ueri proponit, in quibus dum diutius immoratur, nec ad scopum uerum aspicit, more somniantis in catastrophe luditur. inde orbis lues, omnia uitiorum genera mortalis fumi captandi causa oboriūtur & sunt in prae

cio.eo uno uitio quod nemo ſe noſcat & non ſe nimis amet. Sed mirum eſt licet, omnes falſum cognoſcāt nūquam à praua ſententia dimoueri. Infinita imperia, regna, prouinciæ, urbes, nedum homines exciderunt, & tamen aliquid futurum putant quod tantis laboribus quærunt ut contra naturam ſuis ſoli animantium delectentur etiam ultro queſitis miſerijs. O quantis laborat homo infœlicitatibus ut perpetuo ſit infœlix. mittamus æternæ fœlicitatis iacturam & infiniti ſupplicij pœnā. philoſophi multi ſola uanitate acti ualefecere huiuſmodi curis, ut Diogenes, Anacharſis, Epictetus ſtoicus & Plotinus & alij. Quid futurum putamus fuiſſe illis ſi fidem illam æternæ uitæ loco famæ permutaſſent? Si reuera credidiſſent manere impios pœnas bonos præmia? nos incitare debet amor beneficij patris, timor horrendi iudicis, cupido & arra æternæ fœlicitatis, & tamen malumus noſtro amore ſecuri & beati, cū ſummo diſpendio momentaneam ſequi, quam cum ſumma pace æternam adipiſci, agereque ſemper ordinate. in uulgari hominum potiſsimum magnorum diuitūque uſu potest dici οὐδὲν ὑγιὲς. lerna malorum.

7. Clarum eſt, eſſe præſtātiſsimum cuius gratia præſtantiſsima fiunt. unde quum quæcunque in ſupellectili ſunt ſint cauſa domini & domus cauſa habitationis, opus eſt & dominū & habitationem eſſe præſtantiorem inferioribus. ita quum ſit præſtātiſsimum mundus, opus eſt eſſe omnium animantium præſtantiſsimum hominem & quum nulla res præter deum ſit idem cum ſuo fine, opus eſt hominis ſcopum eſſe præſtantiſsimum & infinitum

quod est æterna beatitudo cum deo & in deo. Iam illa diximus.

8. Quum sint meliora in tota natura quæ sunt finis quam quæ ad finem spectant, nullus tamen fere est quin contra iudicet & faciat, perinde ut si quis meliorē soccum pede, pileum capite, uestem corpore putaret. O quantum est in rebus inane? quotusquisque hæc curat? sunt ista temporaria data, ut per mediocrem usum earū ad finales diuitias deueniamus, deumque datorem laudemus. nos perinde atque si essemus hic æterni cumulamus opes præclaras alieno sanguine & iniurijs familias ut sint insignes diuitijs, oneramus uerius quam honoramus, ueluti deo nunquam rationem reddituri. φεῦ τῆς ἀνοίας.

9. Vt in potentia &c. Clarū & perspicuum est quot quot sint causæ antecedentes seu efficientes unam tamē supra omnes esse à qua motus in omnes inferiores dimanet uoluntas & imperium, uerbi gratia. Si construendū est aliquod insigne ædificium cui præsit quæstor, redēptor, latomus, antigrapharius, quiuis eorum potest dici causa, sed unum opus est esse à quo res ipsa primo sit iussa & facta, ad cuius uotum & finem res tota refertur. Sic in fine est. licet enim sint uaria bonorum quum animi tum corporis genera ante finalem fœlicitatem, quæcunque tamen possunt usquam cogitari imo maiora quam quæ poßint ab animo nostro concipi continet, alioqui nō esset rerum maxima nisi excederet sensum & explicationē. Vt enim æternitas non potest ullo modo à nobis cōcipi, ita nec minima eius fœlicitas cogitari. Nā

alioqui frustra factus esset mundus causa hominis, & homo causa suæ fœlicitatis, facile quicquid est intellectu comprahensibile contineret. Quum enim sit omnipotens deus, potens supra causas omnes, sitque etiam finis rerum omnium, in eo & eius cognitione, est tanta delectatio ut sit infinita. ideo omnia possunt adferre longo usu fastidium, præter sciētiam & contemplationem, quæ eo minus satiat & affligit quo maior habetur, si sit deo iuncta. patet certe inde diuinitas intellectus & suæ fœlicitatis scopus quod nulla scientia satiari hic poßit & ardentius cum ætate crescat uotum. unde dicebat propheta Satiabor quum apparuerit gloria tua. ardor ille sciendi arguit futurum ut omnia in deo simus uisuri, intellecturi, & habituri, nam frustra eam mentem in nobis impræssam esse, impoßibile est.

10. Iungi necessario in agentibus ex deliberatione finem postremum primo inde patet, quod licet sit in effectu posterior omnium finis, est tamen in mente prior. Quuum itaque sit prior in mente mouet ad media quæ ipsius causa fiunt. Regula est probata. Bonum quo cōmunius eo diuinius. deus quum ab æterno esset in quo lōgitudo temporis intelligi nondum facto tempore non debet, nil se dignius potuit facere quam suam explicādo potentiam communicare cuidam naturæ id quod in eo est summum, ueluti æternitas, potentia, sciētia, charitas iustitia & quicquid in eo est. In eo enim res eius omnipotentia digna uisa est, quod posset suam creaturam beatificare & sibi aßimilare. Nil enim posset facere prīceps maius atque augustius quam quotquot habet sub-

alios, reges omnes constituere eos, proq; fructu obediẽtiæ summæ id quod in eo summum est commune facere. Nunquam itaque homo fine suarum actionum fruitur donec in eius usum sese illi adnectant, quoniam autẽ necessitatibus urgentur homines ad fines quærendos illi cũ fine non uniuntur. At deus prima causa omnia media causa hominis, hominem causa dei faciens, sibi omnino unit hominem, ita ut unum fiat cum eo, nec potest finem cõsequi mundus quin ueluti deus alter deo iungatur id est homo deificetur. differt utendi fine modus quia homo ob nesitatem quærit, deus nullo egens propter illum quem beatificat non propter se facit. sunt diuersi modi: nã homo à domo uestitu rebus &c. finalem usum propter se non propter rem quærit, at deus non propter se, nisi quo ad gloriam & honorem, sed propter bonũ eius quem beat finem seipsum dat. fini iungitur eo modo principium & principium fini, quod declarat axioma.

11\. *Est in placitis omnium hominum & præcipuè philosophorum omnia bonũ appetere. unde cõstat ut illud sit bonum cuius causa fiunt omnia. Mirum quum bonum sibi à natura propositum nullum animal homine inferius, imo nec plantæ ipsæ non prudentißime duce natura eligant, quomodo eo miseriæ & amentiæ animantiũ imperator homo uenerit, ut nec in tota natura nec alteri homini nec sibi ipsi nec demum authori rerum deo sit maius quam ab homine probrũ aut dispendium, si tamen sit deo dispendiosum honore fraudari et timore, & non potius illius qui peccat damnum. Constat ex hoc loco prima hypothesis literarum sacrarum, quod homo*

ſuo marte periit. Nam deus hunc fecit præſtantiſsimum, ut pote infinitis mundis maiorem. unde dotibus animi et corporis abſolutiſsimis eundem condidiſſe liquet. Quũ uero omnes qui nũc ſunt fuerẽue aut ſunt futuri ſint bono & perfecto omnino diſsimiles & contrarij; fatendũ etiam neceſſario uidetur eundem qui à deo perfectiſsimam conſtitutionem accepiſſet, eandem infeciſſe & in omnes uitium ſerpſiſſe. quo factum eſt ut ſuapte ſponte quanto erat perfectior creatione, tanto miſeriorem & ad uera bona appetẽda imperitiorem, propria præuaricatione ſe conſtituiſſe. alioqui non fieret ut tam inutilia ſibi nocituraque per tot labores quæreret, ſi integro naturæ ſenſu omnia perpenderet. Id uero procedit ex iudicandi debilitate non naturæ ipſius in ſe malignitate. Nam in omnibus laruis quibus inhiant homines eſt aliqua latens ſpecies boni, uerbi gratia, uiuendi neceſsitas facit ut cibo reficiamus uires, id eſt ſecundum naturam. at quum animantia ponant modum cibis ex neceſsitate, dum palatum proritare homo uario ciborum & potuum genere ſolet, ingerit uarietatem ad ingluuiem uſque, & quum cætera animalia neceſsitatis gratia paſcantur, homo epularum cauſa comedit. Inde fit ut plures egregie ſaginatos ueluti ad macellum ducẽdos occidat gula quam gladius. ita guſtu qui datus erat ad iudicium cibi ſalubris aut nociui abutuntur, legem rationis & ſcriptam & deum, uolentes eſſe nihil: dum malunt ſua uoluptate cõtra rationem frui quam rationi obſequi. Sic animi magnitudo quæ ad contennendã aduerſa & conculcanda uitia data eſt, uertitur ad cæ-

terorum

terorum hominum contemptum.ira quæ zeli & correctionis redargutionisue mali causa data est, ob quiduis traducitur in ruinam hominis alterius, hic libido uenerea indita cuius animantium ob conseruādam speciem, illius solum habita ratione, in frequens concubitum adulteria molliciem & cætera traducit, in quibus perit species, corpus affligitur, animus hebetatur, leges omnes infringūtur diaboloque authori nostræ ruinæ litatur. Sic est in reliquis dum infœlix homo constituit finē boni in his quæ pertinēt ad corpus, excidit ab illis quæ sunt animi. & ex aliquo facit nihil, idest ex rebus per se bonis ruinam sibi & naturæ adfert. hunc falsum ab homine appetitum resecare funditus potest solus Iesus *Christus naturæ reparator*. Docet enim *solus & animat hominem ut sit contentus sola in his mortalibus rebus necessitatate, & si adsit utilitate. nam cætera (nisi magistratui) ut honores, splendor, insignes opes, congesti thesauri &c. quum sibi ea refert homo, & spem in illis collocat, in peccatis ponenda sunt. unde uidere, licet solos illos reuera sapere esseque beatos quos desipere uulgus autumat.* Quum *ergo omnia bonum appetant, solus homo spem, neglecto deo in suis rebus collocans, suisque sensibus delinitus, modum excedēdo, legemque transgrediendo sibi in animo fixam, rebus sibi ad peregrinationē concreditis, ueluti nullas alias habiturus aut in his māsurus, perpetuo securus fruitur, obliuiscitur sui, dei, fratrisque & fit omnium animantium superior omni materia mūdi inferior, dei uisione priuādus.* N*ostri ergo temporis impietas non debet credere*

aut affirmare nostrum appetitum esse secũdum naturã, quia brutis multi sunt inferiores, & praecipue ex Epicureorũ Ceneuangelistarum grege (expertus loquor) nec e diuerso sumus etiam destituendi arbitrio ut quibus frustra praescribatur.

12. Liquet ex descriptione axiomatis praecedentis quid à contrariò sit malum. est enim & quod omnia natura fugiunt, ueluti eorum corruptiuũ, & quod contra finem agit, naturaeque fines peruertit. quotuplex autem sit malum supra dixi, & proprium uocabulum mali esse peccatum. nam malum poenae & damni aut animaduersionis licet à nobis malum dici soleat, malum tamen re=uera ideo nõ debet dici quod melioris finis gratia fiat. Iustitiae enim ordo in primo, in secundo loco utilitas patientis multo maxima habetur. est itaque eadem ratio peccati & mali. nam merito malum est quod à malo sit animo. Quum autem sint tres naturae quae libertate fruãtur deus, naturae separatae & homo, quum malum adeo qui est habitudinis author fieri non poßit, superest ut quicquid est in mundo mali, fiat ab alterutra illarum. daemon porro quum sit simplicißima essentia intellectu & uoluntate constans non potuit mala quae à corpore sunt commisisse, unde superest ut ui intellectus & peruersa uoluntate in deum commiserit. quum enim unicam laudem honorem & timorem deo omnipotẽti deberet, superest ut ea non praebendo à scopo aberrauerit. unde superbia ducti qdã eius naturae spiritus uoluere nil esse deũ, in eo ꝙ nec agnoscere illũ pro datore, nec illi debitos honores reddere dignati sunt, sua capti excellentia.

principium itaque peccati est negatus deo honor, cui detrectata obediētia consummauit peccatum capitale. corporis illecebris & cupidine uictus primus homo infregit diuinum decretum inobediētia. Iisdem facultatibus quibus & dæmones & primi parentes bene etiā uti poterāt male sunt usi, unde labes in tota posteritate humana serpsit. permittit uero deus animali rationali seu intellectuali ui eius naturæ quam bonā receperat aberrare non secus atque reddita alicui gratia, uult humanam facultatem una obsequendo diuino spiritui cooperari, & istud adscribere merito dignatur deus ut pœnæ peccatum. Nam posito peccato ponenda pœna est, & posita uirtute stat & præmiū. Quum uero peccatum sit commissum in infinitum infinitam etiam pœnā mereri est fatendum, ut posita uirtute licet cooperetur deus & primo ad eam moueat, tamē quia amore & timore maximi fit, ponenda est æterna merces quæ deus est.

13. Posuerunt philosophi medium bonorum genus quod nec bonum nec malum est, quod licet hic adscripserim tamen uix auderem in hoc placitum iurare. Nam nil uideo quin ex natura sua primigenia optimum esse ab optimo accœperit, unde quum ea quæ media uocāt sint bona fortunæ seu externa uitæ adminicula, nec potuerint à se deprauari, sequitur ut merito sint ualde bona, ut inquit Theologorum parens. Vocare uero ideo media quod bene & male liceat uti, eadem ratione diceremus deum medium, quo alij ad prætextum utuntur hypocriseos, alij reuera in bonum. serio de religio-

ne philosophãtes.medium ergo est in actione sola non in rebus, ueluti uirtus & uitium.

14. Si ab Epicureis negaretur, Virtutem esse summũ præsentis uitæ bonum, ab eorum insania censerem ad omnium philosophorũ consensum prouocandum. Si hæc est præsentis uitæ summum bonum, sequitur cætera corporis & fortunæ esse eius adminicula, atque eatenus iuuare eorum possessorem quatenus ad comparationẽ uirtutis illis utitur, & ediuerso tam parum abutenti cõducere ut merito inter mala sibi connumeret quæ bonis bona sunt. animo enim male affecto quicquid offertur illi in perniciem cedit, non rei optimæ ratione, sed impuro fonte perditas actiones effundente, ueluti in uase imbuto quodam putri liquore, quicquid infundis, quo est præstantius eo commaculatius exit, aut si uincat uenenum & odorẽ tetrum nõ poßit recipere aut continere liquorem optimum, uas fragile rũpit. unde fit ut quemadmodum liquores nulla ui contra uenenum pollentes uasis uenenati uirus concipiunt, sic quum insigniter aduersantur uenenis admissa in uas uenenatum aut frangunt aut mutant: sic homo pestiferis imbutus opinionibus, omnia quibus cum habet commercium inficit, at quum uult abuti deo contrario maxime peccati obstinati uenenis, fit ut confringat impios sacro nomine abutentes. Quum igitur concedatur uirtutem esse summum præsentis uite bonum, constat etiam non esse summum bonum absolute, aut sibi absolute esse præmium, ut duæ imperitorum philosophorum & nostri temporis quorundam impiorum assertiones affirmant. Nam uir-

tus in actione consistit. nil autem quod in actione consistit suiipsius causa fit. præterea omnis motus causa quietis fit. Quum ergo uirtutis sectatorem quo est præstantior & uegetior in agendo, maneant torqueantque plures innumerique labores, constat ex ordine naturæ facientis fines meliores his que sunt ad finem, non posse dici ex afflictione ullum beatum. At beatitudinem summam pro actione rei summæ deberi, est ex ordine & ueluti debito quodam iustitiæ diuinæ. quare ut est uirtus summum in hac uita & est aßidua sine ulla quiete actio, habet necessario maximum præmium quietis eternæ, & in alia uita quã in præsenti. Quum uero de uirtute tam uaria sint à theologis & philosophis scripta ut potius iuuent doctos & ostentatores quam bonos, paucis ea uirtutum genera quæ sunt ad salutem necessaria, & à minimis etiam idiotis poßint comprahendi. tradam. Omnis res habet propriam quandam functionem, nam alioqui frustra fieret. omnis autem actio tendit in neceßitatem aut utilitatem, aut etiam in honestatẽ. Quum uero homo constet animo & corpore, opus est mutuo & animo & corpore in se inuicem exercere uirtutis opus, ita ut illud in primis caueatur, ne quid se indignum, aut dei honori repugnãs committatur, has duas partes propriæ innocentiæ & honoris diuini, quum sint basis cæterarum uirtutum neglexere philosophi, postremam contennunt hodiæ Ceneuangelistæ corpori quicquid lubet sub misericordia Crhisti in certam eorum dãnationẽ permittentes. Videamus ergo quid sit uirtus. maxime proprie ita definiri debet. Virtus est hominis in-

ſe aut alterum hominem aut ipſum deum actio tendens, neceßitatis utilitatiſue aut honoris ergò, dei in homines beneficium imitans. Virtus enim ut breuiori finitione circunſcribi à philoſophis ſolet, eſt maxima ad diuinum numen aßimulatio. dũ ergo perpendimus quid ſit deus, & ex eius bonitate mera ſine noſtris meritis antequam eſſemus quid nobis in hac uita contulit diligenter conſyderamus, tunc duo ſubeunt cogitanda, quantum acceperimus & quantũ debemus. Ex hac cogitatione primaria uirtus à philoſophis ne nominata quidẽ inter uirtutes, oritur. ea eſt ſacroſancta mater uirtutum humilitas, que comites ſecum ducit charitatem & gratitudinem, quæ ambæ etiam neglectæ ſunt à ſupercilio mundi. Qum enim uidet homo ſummam potentiam ſapientiam & bonitatem dei in ſe contuliſſe, tanta animi corporis fortunæ (aut chriſtianius) externa bona, ut ne cõpræhendere animo unquam poßit eam immenſitatem, ſe uero ex oppoſito conſyderat impotentem, immeritum, ingratum, fatuum, non tantum non habuiſſe gratiam tanto datori ſed contra innumeris actionibus contra rectũ animi iudicium, aut illum ignoraſſe aut cognitum blaſphemaſſe & cõtempſiſſe, & ueluti nil reputando, creaturã illi infinities prætuliſſe, non poteſt fieri (niſi ſit deploratißimus) quin in ſe deſcendat peccator, ſeque grauißime inculpet, indignumque iudicet, cuius unquam tãtus dator miſereatur, dignißimum uero quem æternis mancipet ſupplicijs deus. Qum quotidie iſta ſibi ob oculos ponit homo, fieri non poteſt quin ea conſyderatio illum in maximum tanti iudicis terrorem adducat,

cogitareque faciat quibus rationibus quatenus poterit misericordiæ tam boni domini per amorem cooperando ingratitudinis pœnas luat, atque admissa quatenus poterit expiare studeat. Quum ergo agatur repetundarum tam immensarum inire primum à se ratione debet, quot scilicet modis se indigna admisit. Quum enim sit dei filius quilibet homo maxima cura illi esse debet ut se per omnia illi simillimum (quantum per se poterit implorato patre) reddere studeat. Videt primo deū esse purissimam quandam mentem & ab omni labe alienam nullius indigam, nullis corruptibilibus utentem, et super quam intelligi possit munificum. Videt ex opposito se fœdissime & animo & corpore inquinatum, pugnasse toties cum deo quoties corpus fœda ueneris labe (præter generandi necessitatem) se contaminauit, solamque in ea uoluptatem uoluptatis causa id est neglecto diuino fine, quæsiuit. perpendit quomodo, quoties, & cur: inde si sapit castitatē toto uoto ueluti deo angelis atque beatis similem amplectitur, atque lachrymis, ieiunijs, macerationibus solitudine expiare per fœdam luxuriam admissa studet. O fœlix sancta uirginitas deo in terris similis, quam grata es illi qui purissimus solus est? perpendit demū quid in uoluptate potus et cibi admiserit, quomodo toto uitæ tempore uoluptatis quam necessitatis gratia plura absumpserit. pulmentaque & uina non famis sed palati & gutturis gratia ad ingluuiem usque ingesserit, indeque morbis innumeris proprium corpus sibi adeo conseruandi non corrumpendi gratia datum labefactauerit. huic pesti medebitur so-

brietas, in posterũ pœnas sumet ieiunium. fœdatam partem irascibilem corporis quæ in corde residet, periracundiam rixam contumeliam, similem passionum experti deo reddit cum mãsuetudine & moderatione. Infandas cogitationes in animo agitatas contra naturæ ordinem per summam depellit puritatem & synceritatem symplicique prudentia leges ueritatis conseruat & exprimit, ut quemadmodum res naturaliter habent suũ esse constantissimum, ita secus cogitare aut affirmare non audebit quam sciat esse, & quia longe plura nos latent quàm quæ cognoscimus, satagẽdũ ut modestia hæc omnia regat, inter cætera autẽ de hominis animo aut sententia iudicare non præsumat, ne dum uerum se affirmare putat, grauiter animum lædat, deoque omnia noscẽti ius suum præripere uelit. facta mala quum constabunt iudicare poterit, homines nisi secundum legem minime. hæc omnia sacrosancta prudentia loco temeritatis iudicij, & male affecti animi iudicium rectum impedimẽtis moderabitur. Ita quicquid est labis in corpore atque animo cum iudice assessore quam συντήρησιν, id est conseruationem uocant facile agnoscemus & cõparãdo nostras imperfectiones cum perfectionibus dei, & in singulis spiritus sancti gratiã inuocando sacraq; audiẽdo et implẽdo nos dignos dei filiatione maxime facere satagemus. Quũ cõsyderamus deũ nullis uel egere uel uti, necessitate uero nos cogi ad usum rerũ, tũc nostræ tenuitatis miseriã, deiq; in nos amplã munificentiã agnoscimus, quãque absumus à uero rerum usu cernimus. nec enim satis habemus uti concessis ad necessi-

tatem & utilitatē, ſed quæ ad delicias & honores ſpectant ultro per iniurias neglectūq; dei datoris & ſalutis propriæ querimus, unde naſcitur curioſitas, luxus, uana gloria. Vt ergo ſimus deo noſtro quam poterimus ſimilimi, ualefaciēdo cæteris cū ſacroſancta ſobrietate et ſuperfluorum reſecatione dicamus, Habentes alimenta & quibus tegamur his contenti ſimus. Nil enim intulimus in hunc mundum, certum eſt quod nec hinc auferre quicquam poſſumus. Mirū quantum peccetur in hac parte, quāque negligi ſoleat, ut nullus hodie ſit coquus quin indumentis cum principe certare uelit. Nil tam Sardanapalicum quin probetur & in uirtutis loco habeatur. Latrinam ergo iſtam & utrem ſtercoribus plenū fœdamque ſepulchri putredinem non tantopere colamus, quum ille ſit fœliciſſimus qui minimis utatur nullis egeat, ſequenti in ordine qui tenuiter laudando deum parabilibus ad neceſſitatem tantum utatur: quominus alimentorum in hac latrina putruerit eo magis ad deum acceſſerit. Quominus externo cultu luxuq; curata fuerit eo dignior chariorque habebitur. Munificentia diuina arguit uel perfectiſſimos eſſe nihil. Nam quum tanta immenſitate bonorū animi, corporis, externorū, ſe onuſtos ab illo uideant cui aliquid alienum rependere eſt impoſſibile, quanta ſunt ingratitudine cernunt, qui uix unquam de gratijs pro uiribus agendis pro merito cogitarunt, inde procedit fides ſpes charitas quum uult homo diuinam ſequendo inſpirationem agnoſcere deū datorem. Nam cur non fidat deo per omnia proſpecturo quum tanta totque bona ſibi antequam eſſet compa-

rata uideatur.merito infidelitatis & impietatis notam su beat, si aut non agnoscat datorē aut illi agnito non credat. Quæ uero à tam liberali Domino promissa audit cur non præsentibus ueriora credat, modo iustissime his uti suadeat? nec enim impietatis Germanicæ lex est sequenda qua suadent nil obesse bene credenti et speranti quocunque uixerit modo.hac lege impenitentes omnes decedunt. Quum uero immensitatem per se consyderat beneficiorum quibus non eget locupletissimus dator, tunc si sapit fratrem hominem alterum eiusdem patris filium, iisdem necessitatis legibus adstrictum sibi à deo relictum loco sui ut quæ in ipsum authorem uellet relata eadem homini alteri amore communis patris conferat. Tunc oritur fœlix charitas, cōsors humilitatis.quisquis enim seiungit eas illis abutitur. sic omnis officij ratio ex comparatione illa oritur.diligenter itaque tota hominis Christiani uita debet ĩ hoc insudare ut qua in re plusquam homo alter ualet seu animo seu corpore, illa eum iuuare ueluti deum si egeret satagat.ostentatorio uocabulo liberalitatem & officium uocant charitatem philosophi rerum diuinarum expertes. Animi primo dotes in animum cōfert solando afflictum, imprudenti consulendo, errantem corripiendo, eidemque potissimum in se peccanti parcendo, docendo, eius ad quædam uitia & imperfectiones conniuendo, pro eo orando.hæc enim officia sibi uellet exhiberi si ita afficeretur. Corporis & fortunæ bonorum officia sunt quādoque magis necessaria, quia his sine, ne uiuitur quidem, absque alijs uiuitur sed infœliciter. Cibo potuque refi-

cere atque indumentis tegere debet quisquis potens egentem cernit. detentum quibusuis uinculis corpus uisitare ueluti carcere aut morbis implicatum in domum hospitio recipere, captiuum redimere. hæc omnia in extrema ratione Christus se imprimis exacturum prædixit. homo enim hac de causa natus est, ut sit alteri homini ueluti deus, in rebus afflictis illi consulens. Cæteras officij partes possumus à cæteris proprietatibus dei petere eadem ratione, atque nobis semper aliquid addere & detrahere. addere uirtutes, adimere quæ contra eas singulis admittimus momentis. Quum deus sit fortis patiens misericors iustus in bono constans optimus & cætera, fortes & patientes in rebus aduersis & nobis accidentibus & ab aliorum capite dimouendis, misericordes in omnes iusti maxime ueracesque & constantes in bono esse debmus. uita Iesu Christi hæc omnia suppeditauit abunde. Verum est ad axiomata redeundum. satis enim est nosse à quolibet dei argumento nobis proponi quod fugiamus & sequamur. diligētia modo cū amore adsit, æternæ dei actioni affinis, omnia ex animi procedent sententia. Hæ sunt rationes actionum humanarū tam ad necessitatem utilitatem quam ad gloriam. Hæc ultima deo præcipue demum sanctisque & magistratui debetur.

15. Cessaturam aliquando hanc mundi cœlique rotationem & in quietem resolutum iri actionē et motū, necessario ex totius partibus colligitur. Quum enim nulla actio sui, sed alterius causa & melioris longe fiat, opus est (ut in tota natura corporali uidetur) esse quietē

pro mundi ſcopo.nec enim dari quicquam poteſt, quin ab actione in fœliciorem actionem tranſeat. & demum in quietem.cape ea quæ ſunt artis,id in primis patet aratur,ſeritur,ſeruatur,colligitur in ſpem quietis.ædificatur in ſpem quietis,quicquid laboris ſuſcipitur in ſpẽ quietis ſuſcipitur. Natura adducit trium tempeſtatum fructus in hyemalem quietem.Quotannis uero natura redit ad ſolitas functiones, quoniã homo hic uiator eſt. fines ſunt ergo meliores his quæ ſunt ad finem, rerum præſtantiorum præſtantiores. homo animal totius naturæ præſtantiſsimum,hic habet omnium mortalium conſenſu actionem præſtantiſsimam uirtutem,quæ antequã illi quietem adferat,fœlicem cõſtituere non poteſt. Nũquam enim actio actionis cauſa ſemper eſſet.nam in infinitũ natura progrederetur.Quare ut iam ſæpius dixi illi ob præſtantiſsimam actionem etiam debetur quies præſtantiſsima & æterna. Secundo in loco eſt mundi moles,cuius actio natura uocatur,perpetuoque in motu fuit iam ab orbe condito,unde quum nunquam fiat motus motus cauſa, quin aliqua in mente habeatur quies,ſequitur etiam mundum cuius partes omnes tales maxime ſunt, etiam olim maxime talem futurum.at præſtantiſsima ſecundo loco quies & æterna & defecata, à materia corruptionis futura eſt. Nam alioqui philoſophicum axioma falſum eſt,quo ait motum omnẽ cauſa quietis fieri & in quietem tendere.

16. *Iam ſatis ſupra patuit uirtutem in actione conſiſtere,quod dubitanti poſſet ita ſuaderi.Res omnis naturalis conſtat ſubſtantia,proprietate,actione. nil enim*

dari potest quin actu uel potentia quicquam agat. patet in animantibus & uirtute plantarum. ubique enim est sanctum illud uestigium trinitatis, potentia scilicet & progressio & delectus uirtutis, qua tandiu agunt quādiu sunt, actu uel potentia. Quum sit huius uitæ primū munus moueri, eo melior motus est quo in melius tendit. at nil prius quam quod ad conseruationem indiuidui facit, est. estque illud melius quod ad melioris conseruationem tendit. Quum nil sit uita humana melius in hoc motu (Sunt enim cæteræ uitæ ut illi obnoxiæ ita gradu inferiores) sequitur ut actio illa quæ procurat non necessario sed sponte uitam hominis ut bene sit, sit omnium præstātißima. nam seruat ex deliberatione quod est præstantißimum, & quia perpetuo in quibusdam sibi succedentibus agit, oportet præstantißimum hominem more dei, esse in aßiduo labore pro conseruatione aliorum hominum, etiam si sit illi periclitandum. ideo tātam deus rerū omnium copiam hominibus dedit, ut neglecta post expletam neceßitatem sui cura, homo homini perspicere satageret, qui affectus in brutis præter educationem nunquam uidetur. Quum itaque homo tam parum illa curet quæ sibi ad actionem sunt proposita, uideri potest quam longe ab officio uirtutis absimus. Pietatis eā ob rem & commiserationis sensum solus habet homo, ut tacito conscientiæ iudicio cognoscat, quum nunquā ab alio quodam homine desit miseria aut quædam afflictio uitæ molesta, sibi nunquam esse ab officio cessandum, ideo uirtus consistit in actione. Quod autem naturaliter teneamur alijs prospicere perinde ac nobis na-

turæ iudicio id discimus. Nam quum natura nil frustra faciat, commiserationis affectum non sine causa dedit soli homini in tota uita. Veluti ergo ciuiliter peccaret qui contra ius & equum aliquid admitteret, quum rationem iusti & iniusti in animo habeat, & merito à legibus cogeretur aut lueret, sic qui nec mouetur aliena miseria, nec illi mederi satagit ut inutile reipublicæ mẽbrum præstantißimam officij partem negligens, esset expellendus. ad quid enim dedit illum omnibus affectũ deus, nisi ut continuo satagerent quæ ad alienam miseriam depellendam faciunt exequi? At negato dei munere & neglecto, spreto naturæ sensu, sacris legibus cõtemptis, exemplis magnorum uirorũ neglectis nostræ tempestatis mortalitas, nullam uirtutem in actione ponit, nisi quæ ad quæstum facit. & quod est maxime deflendum qui ad bonum creationis, legum, inspirationis, etiam à Iesu Christo instaurationem recœpere, uidẽtur ista magis negligere. eo rerum uentum est, uerbis sacris nullus non philosophatur facta quisque in socium reijcit. Nullus plane est dei inter nos sensus.

17. Virtutum præmia bona esse & uitiorum supplicia. Hoc naturaliter omnes mortales norunt. nam ubiuis gentium quædam sunt legitima aut mente tãtum aut etiam scriptis usuue probata, quorum transgreßio pœnam, cõseruatio laudem meretur. Hoc uero non posset in omnibus esse, quin sit maxime in omnium authore deo. Quum enim hoc omnibus dederit, ut iudicẽt dignũ malo qui male inter suos, bono qui bene fecerit, sequitur etiam in eo esse summam iustitiam, dareque bonis &

malis præmium aut pœnam summam ut meriti sunt. sed altiori methodo est repetendum. peccatum & uitiū propria mali appellatione dici supra iam est notatum. Vnde sequitur reuera huius uitæ bonum esse uirtutem. Vitium uero aut uirtus sunt arbitrij humani adiuti uel permissi operationes. Nam ut in sequenti est axiomate.

18. Arbitrij liberi est malū aut bonū fecisse quū secus facere potuisses. Quū itaque oīa finis cuiusdam gratia fiāt, uirtus quæ est præstātissima optimi finis gratia est consequiturq; finem, unde sequitur ut uitiū priuetur fine et cōtrariū uirtuti referat præmium. Quū uero quisquis uirtutē exercet seu propriā innocentiā procurando (quod primo in loco est) seu pietatem in deū referēdo, seu in alterum hominem beneficentiam quouis modo exercendo infiniti quiddam operis agere illum cōstat. Nam licet deo eius maiestate dignum nil possit referre, tamen quia propter amorem obedit & ordinem gratitudinis seruat, præterea illum infinitum naturæ parētem promereri satagit, est dignitatis dei dantis nobis ex suis bonis agendi facultatē, pro suaque dignitate potiusquam pro nostro merito compensantis munus ut habeatur æternum præmium ob eas actiones. similiter qui iuuat hominem alterum, aut se dignum maxime tanto patre reddere satagit, quia unius hominis mundi ciuis utilitas potest non ad infinitos sed ad innumerabiles prouenire, ideo etiam est compensatione infinita dignus, quod in gratiam infiniti boni hoc faciat, mera animi à deo semper in bono adiuti liberalitate. præmium itaque uirtutis in hac uita fama fumusque est, quo qui delec-

ctatur & captat inque deum non refert omnino illum finali priuari constat, non secus atque si quis operis regij seu liberalitate regia facti in agentis aut cuiusuis alterius patientis agentisue utilitatem tendentis, sibi gloriam adscriberet uel etiam captaret, merito à principe ut reus maiestatis fine eius operis ultimo priuaretur, uitaque indignus iudicaretur. se enim regē aut deū facit qui regis aut dei gloriam sibi adscribit. Nullamne ergo gloriam expectabimus à bonis operibus? nullā plane, imo quū maxima & laude digna fecisse uidebimur tunc nos inutiles dignosq; probro iudicabimus, ad que arbitriū nostri munerarij iustißimi referemus. Sibi enim laudem adscribere ob quicquam operis licet uirtuosißimi, illud perinde est, atque si quis quod à rege libertatem, pecuniam, materiam, saxa, cementa, trabes & si quid ad ædificandum spectat cum redemptoribus & artificibus accepisset, præscriptaque ichnographia regium edificium construendū curauisset, sibi laudem et gloriam eius attribueret. Nonne ille merito ueluti ingratus retruderetur in pristinam captiuitatem æternū acturus, qui gloriam regiam sibi adscripsisset seroque saperet eo esse honorem referendum unde procederet honestorū facultas? Tu uero O homo licet maximus sis, quid habes quod non accepisti? enumera mundi innumerabiles utilitates tibi ad opus comparatas, innumeros artifices tibi datos, animi tui sacrosanctas dotes, corporis munia pœne infinita? quid tuum in hac re nisi error & peccatum in agendo est? Constat ergo secundum axioma quum etiam præstantissimi philosophi gloriam

calcandam

calcandam ut animi humani pestem senserint, & nihilominus ea quæ gloriæ uirtutisque sunt diligentissime curanda scripserint, quum uirtus debeat habere præmium se dignum, ut illi immortalitas debeatur, uitijs uero æterna mortalitas, & supplicium. Nunquam ideo tā deprauatus aut rudis rerū reperiri potest, quin iudicet per se (omnium corda mouente latenter deo) quid æquum quid iniquum, quid bonum quid malum, quid sibi uellet fieri quidue nollet: unde quoties contra animi rectū iudicium cōmittit, pœna dignus est & delicto pari, siu bene agat præmio dignus est, & susceptibilis modo eius opera iuncta per amorē sit merito Christi. fiat igitur in diuinis more humano. licet enim sit aliquis optimus artifex, deridiculus tamen est si continuo sibi uēdicat peritiam effertque se laudis gratia (in qua re mirum est quantum sibi permittat nobilitas aut uilitas potius) uenditādo alijs spretis, sua, sic apud deum quisquis se effert præmium perdit. præripit enim munerario ius arbitrandæ palestræ, fierique cupit athlotheta. quoquis ergo sublimior est, iudicio suo modestè tanto fiet deiector.

19 *Qui coactus tantum agit bene uel male, de se nec bonus nec malus est, imo qui coactus tantum male agit ut frequentißime est bonus, qui bene malus. dixi ut frequentissime. quoniam sunt quædam mediæ actiones in uita quæ nec malæ manifesto nec bonæ dici possent. actiones ideo dico quia ut iam dixi nulla res est sua natura mala. Malum enim, est actio à libera uoluntate cōtra rectum animi iudicium aut diuinæ humanæue legis*

sanctum praescriptum perpetrata. Ex hac consyderatione attendenda est creatio uniuersi & finis totius naturae. Quum deus sit praestantissima natura, ut suam potentiam & sapientiam maxime cum summo beneficio coniunctā & manifestaret, & quatenus fieri posset sua beneficia maxime creaturis communicaret, primo in loco sibi in hoc similima omnia facere debuit, quod essent in suis naturis quaeque optima & perfectissima adque bene beateque uiuendum instructissima. Nil uero quum tota natura uitalis sensitiuaque habeat libertate, quam à natura habēt & appetunt omnia deperditam, id beneficij quo nil in natura maius est maxime conferri homini debuit, non tantum secundum corpus sed secundum animum ueluti & substantijs separatis. Quum enim sint actiones animi & intellectus praestantissimae, agantque pro sibi praefixo à deo fine, destitui non debent tam sacro dono. essent enim imperfectissimae si summa perfectione carerent. praeterea nec bonae nec malae essent quum coactè & ex necessitate agerent, quod pugnat cum ratione dei omnia optima condentis. Quum enim ut diximus malum proprie non in rebus natura bonis sed in actionibus peruersis sit, sequeretur nec bonum nec malum esse in natura, quod rationi refragatur. Quare praestantissimum fuit hominem fieri potentia peccabilem, licet inde sua uoluntate à rationis uia deflectente posset in infinitum deuenire supplicium. Melius sane fuit liberum quam coactum id est bonum in potētia quam nec bonum nec malum cōdere. Carens enim libero arbitrio quicquid egisset ex

necessitate, nec in uitio fuisset ponendum nec in uirtute abfuisset ab hac uita quæ in actione consistit summum bonum quæ ipsa est uirtus, & summum præmium quæ ipsa immortalitas est. præmium enim non est nisi sit meritum, meritum ab actione proficiscitur. Sequitur itaque ut res sit in mundo præstantiori modo quo possit, hominem in potentia peccandi & non peccandi fuisse factum, ut ex hac uita in eternam transiret, nec amplius egeret libero arbitrio. Illic enim arbitrij libertas erit bonis in bonum tam confirmata, & malis in malum, ut in alteram partem deflectere nequeant, ueluti qui assiduitate habitus fecit ne possit uel incogitanter aberrare à scopo. Multa in posterioribus dependent ab huius axiomatis illatione, quare est diligenter appendendum.

20. *Vicesima sententia docetur ex præcedente. Nam quum possit homo periclitari suapte sponte, tamen longe fuit sic fecisse præstantius quam aut nullum aut nec bonum nec malum. Præstantius agit quisquis uitam laboriosam (in qua ueluti sarta tectaque habenda aßidue desudare uult) deligit, quam qui timore nil absoluendi in socordia agit. hinc uenit cura rerũ humanarum plus æquo eheu plus æquo sedula, ut licet omnia sua olim ruitura sciant homines aut sepius instauranda tamen ab illis nunquam desistant. hoc natura omnes docuit. modum excessit fastus, superbia, cupiditas, auri sacra fames, & cupita in hac uita immortalitas, dirruens, ædificans, mutans quadrata rotundis. neceßitas iniurijs cœli occurrere docuit, utilitas commoditatem neceßitati*

addidit, gloriæ aut amentiæ potius studium nomen suū terris inscribere studuit. Mittamus uitia uideamus naturale studium hominum nil arduum ob difficultatem reputantium. Quum hoc omnes habeant à principio cōmuni, deo scilicet habere cōstat. Quare sequitur etiā lōge esse creatoris maiestate dignius, quod mundum creauerit instaurandum, quā si simplici ab exordio cōditione corruptionis experte condidisset, aut metu instaurādi ne creasset quidem. hoc enim ultimū timorem addēs deo illi esse adimeret, alterum tolleret agendi ex arbitrio meritum, & per consequens nil non frustra fieret, præterea res eadem cum suo fine fuisset. Nam si ab exordio deus omnem materiam corruptionis fecisset expertem quicquid natum fuisset in instāti fuisset beatum, finemque postremum statim cum suo esse accepisset, quod est bonorum angelorum præmium, quos tamen fuisse in instanti sine ulla merendi ratione confirmatos ad beatitatem non assererem libenter, nisi ut receptæ theologorum opinioni subscriberē. Colligo ex præcedentibus, quod longe fuit dignius potentia dei & eius in homines bonitate, hominem permisisse per arbitrium proprium cadere, atque illi ita consuluisse ut instauraretur absolutissime, quam si à conditione prima sine ullo merito aut per coactas operas ueluti mancipio illi beatitudinem dedisset. In homine autem totum mundum me capere debere nullus ambigere debet, quū constet & sæpius dictum sit mundum hunc causa parui mundi esse factum. Dum omnia in rem suam cernit homo condita, necessario hæc consyderanda illi sunt,

nisi totus hebes φιλαυτ⊙ & ignorantia plusquam supina ignorare ea uelit. primum est, eum esse agnoscendum superque omnia amandum diligendumque qui tot tantaque dederit. secundo eum cuius causa factus totus est mundus maiori esse estimatione erga authorem quã totus mundus, & in finem longe mundo maiorem & dignorem contendere debere, tertio ut se maxime ex usu tantæ suppellectilis probare deo datori curet, cui quũ nil poßit quo egeat referre, necesse est ut id officij alteri homini præstet, ueluti filio dei & fratri, quod in deum conferre uellet. impius plane est qui non agnoscit datorem nec illi gratias tanti muneris habet, amens qui non ad maiora melioraque præsentibus se comparatum intelligit, salutis omnino expers qui quæcunque in eo sunt posita ea secundũ necessitatem propriam nõ studet fratri perinde atque sibi conferre.

Vicesimũ primum & ultimum axioma est præcedentis cõfirmatorium sed longe maiorem potentiã causæ perfectæ explicat. licet autẽ uix quicquã perfectũ satis se offerat ut poßim demonstrare lõge haberi esseque præstãtiorem qui rem refectam perinde integram reddat, atque qui simpliciter in principio optima conditione illam construxerit, tamen ut in hac imperfecta elementari fece licebit, capiam exemplum, rem quæ ex diuina ordinatione haberi sacrosancta debet, in medium adducendo & demum quid summum posit facere perpendẽdo. exemplo dei proponatur nobis quidam princeps potentissimus qui minimis urgeatur uicijs, sitque deo quantum homini licet proximus. Quid primum spectã-

dum est in regno fœliciter constituto? nonne singularium omniumque libertas æquitati pacique publicæ coniunctæ? equidem id primum est. pace enim aut diuturna aut noua nil prius habent homines quam pro uoto suis rebus uti. Abuti quidem certe nomine libertatis re sua non licet. Nam reip. interest ne quis re sua male utatur. Necesse est sub tali principe libertatem illam & diuturnũ ocium improbos homines rebus secundis elatos in facinora dira impellere, atque inde ex pace & libertate fieri dißidia & oppreßiones & captiuitatem. Ita illis improbis quod erat omnium præstantißimum fit deterrimum quoniam optima omnia in dispendium suscipiũt. Nonne debet ideo princeps omnibus adimere libertatem pedesque compedibus omnibus reuincire ob paucorum improbitatem? fac esse multo maximam partem maloruum, certe nomen regis in tyrannum uerteret, si prætextu improbitatis omnes in seruitutem assereret. Reddiderit uero regnum quantumuis liberum fœlix pacificum & ab omni parte incolume, præstantißimum certe opus fecit finemque reip. est ample consequutus. Quum autem cor hominis sit pronum ad malum ab adolescentia ut aiunt sacra, aut ut philosophi & poëtæ homines suis delectentur miserijs, oportet ut dicebam in ea usura libertatis nasci bellum. quum enim improbi etiam secum pugnent uitiorumque multitudine summa scateant cæteros cõtagione lædunt, & bellum suscitãt. post bellum denuo componenda pax. Maxime uero liquet esse eum principem longe præstantiorem aut saltem longe maius suæ in suos populos clementiæ, poten=

tiæ & bonitatis argumentũ demonstrasse, quum pristinam pacem & libertatem ita restituit ut uideatur primæ par aut superior. eodem modo deus summus beneficentissimusque hominibus longe præstantior uidetur quum regnũ suum, hominem scilicet & fecit liberum et permisit libertatem amittere concessam, atque demum illi reddidit longe prima maiorẽ. Quod fuerit creatus primus homo præstantissima conditione satis supra patuit. deprauatos uero homines ubiuis gentium uideri est in confesso, quosdã uero ediuerso fœlicissimos ex omnibus deum fecisse constat, et longe prioribus fœliciores, ut uidetur ex innumeris Christi martyribus, quare fuit lõge deo dignius periclitantẽ sponte hominem ex peccato restituisse ad sanctitatem quam primitus creauisse. Ad miraculum enim propius accedit ex re uetusta præstantiorem noua facere quam primo motu naturali cõdidisse, licet sit uterque modus deo æque facilis. postremus uero multiplicati beneficij in hominem est argumentum. eam uero instaurationem per Iesum Christum dei filium esse factam nec potuisse posseue salutem nisi in eius sanguine & morte ulli restitui ex concessis principijs manifeste liquebit in sequenti libro. Vt enim Euclides totis decem elementorum libris præter rationem doctrinæ nil aliud sibi pro fine proposuit quam ut doceret, inde ex concessis & probatis posse tantum quinque corpora regularia componi & circulo aptari, nec in natura plura esse posse, sic nil mihi aliud ex concessis probandum duxi nisi unam tantum Iesu esse ueram religionem, & maxime secundum naturam,

eumque esse deum & animos esse immortales: resurrectionemque omnium hominum futuram, quæ tria maxime se mutuo consectantur.

Sacrarum apodixeon seu Euclidis Christiani. Lib. II.



Ntequam ad deductiones argumentorum ex cõcessis emanantium ueniamus sunt ob oculos denuo nonnullæ sententiæ ponẽdæ, quæ inter expositionem axiomatum adductæ sunt, ut illis perpetuo ob oculos positis facilius quibus medijs ad conclusiones ueniatur uideamus. Vt autem etiam illæ sint clariores quasdam forsam non expresse additas apponemus à capite rerum ducto exordio. Quanto artifex est præstantior tanto præstantiora facit. omnium præstantissimus deus est & causa. mali itaque author esse nequit, quod summum est, quum eius uoluntati optimæ, potentissimæque sapientiæ, nec malus animus nec impotentia (unde peccata) obesse posit. Quum peccatum non fecerit, sequitur ut illud contra eius naturam pugnet illique displiceat uehementissime, quia eius uolũtas tendit in habitum, peccatum in priuationem & annihilationem. Esse iustissimam mundi mentem inde possumus dicere, quod qui sunt hic iustissimi illi dicantur proximi. Ad hæc, quũ omnes homines cognitione ueri iusti & boni eiusque desyderio qui optimi sunt teneãtur, constat à fonte diuinitatis iustitiæ rationẽ dimanasse, eamque esse natura sua non minus iustam quàm benignam & in homines beneficam & piam. hoc uidetur in eius exemplis quibus regitur hominum ministerio et legum ui isthæc mortalitas. Nam si potentiam sacram

ſeu religioſam capias ſeu politicam aut iudiciariã, quæ ab utraque proficiſcitur, iura adminiſtrant cum iuſtitia et benignitate, benignitas fouet eos qui obſequũtur poſitis legibus uel à natura uel ſcriptis. cõtra iuſticia multat qui contra fecerint. non poteſt illa uis nõ eſſe maxime in deo. Iuſtus ergo ille eſt habendus qui nec in legẽ animi nec in ſcriptam conſuetudinariamque commiſerit, aut ſi quid commiſit ex æquo damnum compenſare impetrata ab offenſo uenia potuit fecitque. Nam iuſticia nõ eſt potentia ſed habitu ueluti actus purus. Quiſquis itaque contra rectam animi rationem agit iniuſtũ eſſe nemo ambigit. Nam recta ratio eſt primus boni iuſtique index. ſecundus & ueluti ſubadiuua lex ſcripta probatáue. Qui uero peccat & à uero recedit aut in minorem aut in parem aut ſuperiorem commiſit, ſi in minorẽ poteſt per ſe ſatisfacere. Si in parem ita poteſt ſi ſe ſuaque offenſo addicat pro noxa. Nam nil minus ſe aut æſtimatione ſui dare poſſet. Eſt enim peccatum pro portione reſpondẽs perſonæ offenſæ. ut qui offendit priuatum ſe minorem non tam grauiter peccat quam qui fungentem magiſtratu & munere. damnum enim (quod in ſe eſt) dat omnibus mẽbris qui caput unum lædit. Rẽpublicam uulnerat & ſibi iuſticiæ compenſatoriæ uiam præcludit quiſquis principem eius lædit. Nam quum unus tantum ſit qui offendit, ſintque innumeri offenſi, nũquam ex æquo ſatisfaciendo poterit ad ueram ſeu diſtributiuam ſeu Geometricam redire iuſtitiam. Si qui ergo offendendo principem omnes ſubditos offendit, certum eſt quod qui deum offendit etiam offendere totum

mundum cuius dominator est. detrectando itaque aut negligẽdo naturæ præscriptum rectam uidelicet rationem aut etiam contra illam committendo infinitis supplicijs dignam offensionem admittit. Est uero impossibile ullum finitum infinita exoluere. Quare minimum peccatum mundi quum non possit admitti quin contra diuinam iustitiam pugnet est infinitis pœnis dignum. Vnde impossibile est seipsum nullum hominem à peccato redimere licet posset milies pro eo mori. quia quicquid posset facere semper finitum esset. Res in rerum natura sunt ut fines suos per debita media consequantur, quare continua in quauis actione dei, est iusticiæ & benignitatis eius actio. Nec sibi ullus mortaliũ debet polliceri misericordiam & reconsiliationem cum deo per solam misericordiam dei. frustra enim non debet quiescere iusticia dei agente misericordia. Necessarium fuit ergo est eritque persolui pro infinito illo peccato quod cõmisit primus homo, & quod tota omnibus seculis posteritas committet antequam ulla misericordia dei possit uelitue omnibus ullisue succurrere. finita uero creatura rationalis Adamus scilicet homoue primus duo infinita per liberum arbitrium poterat committere, quibus ad æternam pœnam aut ad æternum præmium potuisset peruenire. Nam æquum non fuisset & mundum istum & æternam post illum uitam præparasse principi animantium homini, nisi ipse sua opera satageret per consistendi meritum eo contendere. Duo infinita sunt uoluntas in bonum aut in malum. Voluntas enim sola æternitatem in se complecti potest. Volun-

tas in bonum æternum, dei honorem laudem amoremque peroptans, merebatur præmium æternum, semper in se potestatem habens uolendi. Illi dedecus, uituperiũ, odiũ notũ, ut ex electione fugeret quod contra diuinum præscriptum esse cognosceret. In bono enim agens poterat semper malus fieri, at semel a bono lapsus nunquam per se potuit ad summa resurgere. uelut qui præcipiti loco agit, potest quidem decidere aut ad ima deturbari quum uellet, at denuo in sublime tendere negatur. Hoc modo miser Adamus non perpensa casus sui grauitate quum perfectißima creaturarum factus fuisset, amore sui iustitiam dei peruertens in hunc locũ deuenit, ut nullus homo unquam eo conscendere posset unde exciderat, quo ad idem ille infinitus qui condiderat illũ cum posteritate subleuaret, debitumq; eius suo nomine solueret. Solus infinitus est deus, solus igitur casum hominis reparare potuit. At quum debeatur pœna corporea infractoribus iusticiæ, deum solum in sua natura impaßibilem affectibusque carentem non erat possibile luere. Itaque necessarium fuit antequã ullus homo be[a]titudinem consequi posset, unum subiect[u]m reperiri ubi dei misericordia & dei iusticiæ satisfaciendi copia un[a] esse oportebat. tale compositum est ex homine & deo. Vt quatenus subiectum illud miseretur humanæ cõditionis cœlitus adesset illi, sibique eã carnem quæ peccauerat iungendo in ea legi diuinæ iusticiæ satisfaceret. Hoc modo sapiẽtia dei, uerbumque eius imperio patris ductu spiritus sancti factus homo est: ut una & misericordia & iusticia exercerentur. lapsusque de suo

cœlo homo in eum reduceretur. Sanguinem in ea natura quam assumpsit infinita sua potenti uoluntate fudit, ut per eam mortem partim infinito subiecto iunctam partim finito & finiti opus et infiniti munus exequeretur. Quatuor annorum milibus patres in eius persolutoris expectatione cum pijs operibus defuncti post eius mortem in cœlum cum eo rapti sunt. in eius sanguine baptisari operaque bona facere quisquis uult eodē eius ductu perget.

Quod Iudæorum Meßiam non tantum similem sed Deum & hominem una futurum fuisse necesse est fateri.



Esse aliquid tanto sublimius quanto magis ad summum accedit uideo ab omnibus fateri. Nulla fere gens est in toto terrarum orbe quin uel serio uel fabulose audierit de Mose legislatore Hæbreorum, atque Iudæos ipsos quendam summum & perfectißimum ducem qui illos à captiuitate in libertatem uendicet expectare. Tanquam igitur nōdum uenerit (ut aiunt) dispiciemus partim sacro præscripto, partim ratione, quænā conditiones tam perfecti ducis esse deberent. Rem ut in principio dixi, esse tanto maiorē quāto ad diuinitatis imitationem propius accesserit. fatentur & religiosi et philosophi. Meßias igitur Iudæis promissus debebat tātopere accedere ad deū, ut lex mosis eius legi collata uix instar umbræ esset. eius imperium collatum florentißimis, illa nil esse præ sua excellentia monstrare de-

beat. eius ſapientia humanæ compoſita, illam ſtultitiam eſſe debere docturũ credunt. uictoriam eius perpetuam pacem cum orbis imperio uniuerſali adlaturãm ſperãt. Hæ ſunt præcipuæ dotes quas illi attribuunt. & reuera non male omnino iudicant. Ad deum enim proxime iſta potius quam ad ullam facultatem humanam pertinẽt. lex eius tanto interuallo à Moſaica differens ut illa ueritas hæc lux uideatur dotem dei illi plane confert. Nam quum lex Moſis ſit non à Moſe ſed à deo hunc opus eſt eſſe ſaltem parem deo qui legem tam perfectã ſupra Moſem ſit daturus. Vnde cõſtat in lege Moſis multa deum permiſiſſe in gratiam populi potiusquàm ueri, quamque poſſet cõplere ſummus legislator. Tam florens imperium eſſe ut ſit in uniuerſo orbe terrarum & ſuperet quot regna unquam fuere futurâue ſunt arguit nec poſſe hoc imperij in rebus fluxis miſeriarum plenis conſiſtere, nec alterius quam dei hanc eſſe tantam potentiam ut in toto orbe eius leges accipiantur, paceque perpetua fruantur. Nunquam enim in hoc orbe miſerijs pleno durante hominis libero arbitrio poterit eſſe uniuerſa quies. Si uero non erit liberum arbitrium ſub Meßia, non erit opus lege agẽtibus ex neceßitate. Conſtat ergo hoc regnum eſſe ſupramundanum in quo Iudæi id eſt confitentes laudãteſque deum ſoli erunt. At hoc eſt dei proprium. ergo Meßias erit deus. Tantam eſſe legis eius ſublimitatem ut deleat poſt ſeque relinquat quicquid eſt ſcientiarum in mundo quum cognitiones ſint à deo, oſtendet eum ſi poſſet dici pluſquam deũ. Victoriam tam magnã & ce-

lebrem esse futuram, quoniã ille est per omnia similis futurus deo, arguit non esse corporum sed animorum. Si enim euertendo naturam more tyrannorum & naturã humanam cuius gratia factus est mundus, causa paucorum sibi addictorum conculcando regnaret, plures sibi si non similes certe uoto superiores haberet, essetque a deo alienissimus, qui quam naturam deus salutis gratia creauit, per tot leges rexit, tot beneficijs fouit, euerteret. Ea enim uictoria orbis esset uastitas nõ imperiũ. Quare colligẽdum est eã uictoriam esse hostis cuiusdã maioris quam mundus. Sunt tales dæmones à deo confracti per Iesum Christum. Ad hæc deus omnibus bona sua nullis imo ne hostibus quidem mala dat. Si per neces, igitur & clades hominum quos tam charos habet ut etiam hostes foueat & ad penitentiam reuocet, ille regnum tam magnum est paraturus ut hostis dei & naturæ pernicies est iudicandus. quare sequitur ut eius regnum non sit de hoc mundo. Nam excellens debet esse & regno, & scientia, & uictoria, & subditis & rebus omnibus quæ ad beatitudinem faciunt, ut superet omnes omnium regnorum fœlicitates. si uero in hoc mundo regnaturus est tantum quid nam habebit quod cæteri multi non habuerint? Scientiam etiam & prophetiam habere debet tam singularem ut superet quotquot unquam sapientes & prophetæ fuere. At non potest hoc facere nisi deus. adhæc regnabit in æternum & regni eius non erit finis. hoc uero non potest fieri nisi a deo. Sic cæteræ excellentiæ debent esse proximæ deo & omnibus mortalibus superiores,

facultatesque huius mundi excedentes. at dicet Iudæus, Nasci debebat ex semine Abrahami, Dauidis, Solomonis, & patriarcharũ, & hoc uerũ est. Nã in semine Abrahami qui est Meßias erant benedicendæ omnes gẽtes. Si in semine Abrahami ergo in homine & per potentiam summam in deo. Ergo necesse est ut esset Christus homo deus. Nam alioqui conditionem utranque nõ potuisset implere. Nasci ergo debuit deus homo, concipi, regnare, mori et in æternum regnare more à cæteris mortalibus differenti. Nascuntur alij ex semine & corrupta muliere, ille ex uirgine sine semine. aperta alij aluo, hic clausa lucem hausit. regna alij in põpa gloria superbia transigunt, hic rex cœli & terre unica ueste et tunica contentus, non habuit tantum soli proprij quantum cuniculus ubi requiesceret. Alij ob beneficia gratiam, hic pro excellentißimis miraculis probra recœpit. & hæc omnia ut ostenderet hanc uanam rerum humanarũ laruã quam tantopere appetimus esse tãtum miseriam, ut ob peccata in illis admitti solita deus sit homo factus, ut ea exempla doceret, morteque mortẽ deleret. Nam alij principes moriuntur in corruptionem, is per mortem & sibi & alijs uitam reddit æternam. mortui conditi sepulchris manent, per suam resurrectionem mortis delet imperium uitamque in suo æterno regno suis parat. Est illud regnum quod dixere prophetæ duraturum in æternum. Nullus homo æternũ regnare potest, quare deus est & homo Meßias Iesus saluator noster, in quo tam ratione quã authoritate quicquid summi & prædicti à prophetis est, ostenditur. O quanta

scientiæ sublimitas. in se solus habet quicquid unquã per fecti omnes habuere, deus habet diuinitatem, habet & Christus. homo qui mundi præcium est habet humanitatem, habet & Christus. sunt duo rerum capita quarũ gratia mundus est. Generatio hominis & fœminæ primæ fuit sine semine & uase, secũda cum semine et uase. cũ priuatiõe seminis par est Adamo, cũ posteris differt, uase generationis cum posteris quadrat, cum Adamo differt. utrique cõuenit & differt ab utroque. In homine differt ab homine, quia æternitatẽ habet. in deo differt a deo quia humanitatem habet. in sublimitate a deo differt, quia humilis, in humilitate ab homine quia sublimis. In uita a deo differt quia mortalis, in mortalitate differt ab homine, quia immortalis. factus est omnia in omnibus.

Antequam ulla res in tota natura finem suum postremum consequi possit, opus fuisse necessario deum hominem fieri.

VT rem primo suadere aggrediar capiã Platonis sentẽtiam quam primo de legibus effert his uerbis, τὸ νικᾶν ἑαυτὸν αὐτὸν πασῶν νικῶν πρώτη καὶ ἀρίστη. Vincere ait seipsum est omnium uictoriarum prima & optima. O quot quãtaq; se offerũt ad explicationem tantæ sententiæ, quam esse uerissimam probatissimamque inter explicandum patebit. Docet primo Plato, in ea sententia, esse peculiare

homini ſecundum corpus peccare & ab æquitate deflectere, eſſeque præſtantiſsimũ ſi à propria natura et inclinatione contra appetitionis ſententiam tranſeat in contrariam. demum etiam quum dicit eſſe illud primum & præſtantiſsimum notat à præſtantiſsimo etiam id animus noſtris inditum, quare oportet ut etiam ſummus naturæ parens ad uerum naturæ ſcopum adferendum etiam in ſe quantumuis in infinitum ſublimi hoc probauerit. Sed ad diligentiorem excuſsionem ſententiæ eſt in ſingulis partibus immorandum. Si præſtantiſsimum eſt homini uincere ſeipſum ſequitur ut uinci à ſeipſo ſit deterrimum. quare etiam pugna eſt in medio homine & duæ partes ſibi omnino aduerſantur. Quum ita ſit, ſecundum naturam & uirtutem opus eſt eſſe unius partis actionem, cui ipſi competit uictoria, alterius uero operationem ſponte uitioſam & contra naturam, cui ſubigi & parere expedit, ueluti deprauatæ & inutiles malasque reip. functiones parienti. Pars uictoria digna animus eſt & recta ratio conſtansque animi iudicium, ſeruitute digna eſt corpus & uita uitalis animalis ſenſitiua. Proprium uero hominis uocabulum competit naturæ digniori. Eam obrẽ aiebat alibi Plato ουκ ἐστὶν ἄνθρωπος τὸ ὁρώμενον. nõ eſt homo quod uidetur. ſiquidem animus & forma humana cerni nequit. Ideo philoſophi illi qui ſuas doctrinas numeris & inuoluchris tegebant (poëtas dico) quum homines ſecundum corpus irretiri uoluptatibus docebant non amplius homines ſed bruta belluasq; Circeis poculis mutatos dicebant. ex hoc confirmandum aſſumo quod pri-

mo in loco religionis est ponendum: Quod scilicet homo à naturæ suæ perfectione sponte exciderit sibique ipsi & naturæ humanæ labem attulerit. Nam quum creator sit perfectissimus, perfectissima omnia fecerit necesse est. Si talia: maxime hominem cuius gratia cætera sunt, si talem ergo non dimidia natura malum id est ut sponte nil ageret quin esset repræhensione animi dignum. Constat itaque ab ipso homine suam ipsius naturam absolutissimam à deo factam in ruinam ita tractam, ut omnino contra scopum uirtutis corporis pars armata fuerit. alioqui enim non esset præclarissima uictoria suiipsius, si bene & pro ratione fineque creationis ageret. Natura itaque omnes homines docuit corporis legibus nunquam posse bene agi. animi igitur imperio corporis seruitio magis utimur, docētes à legeconditoris nostram naturam recessisse. Hominem ergo capientes uera & sapientum appellatione: Animum corpori imperantem intelligere debemus. Verum si semper est præstantißimum seipsum uincere nonne ipse animus aut secundum uirtutem agens homo à lege corporis solutus per animi decreta ambulans seipsum etiam uincere in seipso & ueluti fecit in corpore debet? maxime, lex æterna est. a seipso secundum corpus uinci belluarum est, nec est amplius hominis ea uictoria sed belluæ. Animus porro & uera inque se constans hominis natura quo magis se uincit eo est præstantior. Ideo hoc est à natura animorū nostrorū cupidini datū ut quo magis uirtutē degustauimus eo ardētius in eā feramur nosipsos uicēdo. Nulla eni est uirtutis periodus, nul

lus l'mes, ſemper quãdiu uiuit homo ſeipſum uincere in bono poteſt. Quũ ſeipſum in malo uincit, iam non homo ſed brutum dicitur, quoad reſipuerit adque meliorem mentem redierit. Ita à cõceſsis ſequitur, quum uirtus ſit ſummũ huius uitæ bonum & nil fruſtra fiat: etiam ſummi cauſa boni fieri. Vnica enim res, ens primũ, immotus, oĩa mouẽs deus ſolus, ita eſt, ut ſit in eo idẽ finis et: quæ ad finem, ſi tamen in eo poſſent intelligi media ad finem quum ſit ſimpliciſsimus & per priuationem cognitus. Quum itaque appetitus uirtutis ſit immẽſus etiã quum perpetuo in actione conſiſtat infinitam quietem & fœlicitatẽ ei deberi conſtat. Eſt enim merum laborioſaque & eo magis quo maior, quare quum ad motum nata ſit quies, ſumma illi ob æternam aut infinitam ſitim debetur. talis autem ſcopus deus eſt. Nunc ad rem. Quum cõſtet eſſe ſuiipſius præclariſsimam uictoriam, corporis naturam eſſe male & contra naturam affectam, uirtutẽ uero in actione conſiſtentem eſſe ſummum huius uitæ bonum, potentia progrediendi infinitum, illique deberi infinitam mercedẽ & quietem ob infinitos labores aut infinitum uotum illos ſubeundi, liquet à contrario, corporis in animum uictoriam eſſe deterrimam & in infinitum uitiorum barathrum immergere hominem, unde neceſſe eſt etiam illi æternam deberi pœnam. eſt enim uirtus recta & conſtans quædam animi actio ſecundum iuſtum æquum & bonum & amabile quicquid in natura eſt conſeruare ſatagẽs, hominis boni gratia, cuius cauſa omnia ſunt, agens, illumque in optimo eſſe agere uolens curansque. Nam reliquæ uirtutes quæ eò

non tendunt ſunt laruæ non uirtutes, quales ſectatur mũdus uirtutem compendij cauſa quærens. Quum ergo dimidio ſaltem conſtet hominem eſſe deprauatum, & lege corporis agere contra uirtutem, non poteſt uſquam ex ſuis uiribus repetere deperditam innocentiã & præclaram illam ab omnique parte beatam quã à deo perfectißimo perfectißimam receperat. Quemadmodum enĩ nulla res ſeipſam creat, aut ſui cauſa eſſe poteſt (nã eſſet antequam eſſet) ſic nulla res ſeipſam reparare ſine externo & quodam maiori quàm in ſe ſit præſidio, quod potentia creatori artificiue reſpondeat. Quũ itaque homo ita ſit creatus ut per uirtutẽ duce libero arbitrio infinitoq; quodam boni & amoris ſummæ perfectionis deſyderio comite contenderet, nunquam autem per ſe quod eſt ſemi imperfectum (ut ſe ſua ſponte homo ĩfœlix conſtituit) poßit peruenire, opus fuit etiã ut ille idem qui creauerat ad fœlicitatẽ ad eandẽ reparaturus miſerum hominẽ ueniret. Nam alioqui omnia fruſtra in hoc mũdo facta eſſent ſi homo cuius gratia ſunt oĩa infœlix in æternũ maneret. Voluit ergo ſumma dei clementia quod naturaliter docuerat omnes homines id in ſe reparandi hominis gratia recipere. licet itaque deus optimus maximus ſit perfectißimus abſolutißimuſque iam ab æterno tamen etiam ſe uoluit homini cui mũdum dederat utendum fruendum, probare, totumque reipſa id eſt natura dare cum mundo atque ita ſeipſum bonitate ſuperare & uincere. Summa & immenſa innumerabiliaque in creatione dederat homini, at perdito homini dei ſapientia ſeipſam ut à peccato per ſe

commisso per alium resurgeret dedit & ita in bono uicit seipsam ut nullus intellectus posit illius amoris uim compræhendere. hinc cantat ecclesia. Quæ te uicit clementia ut ferres nostra crimina, crudelem mortem patiens ut nos à morte tolleres? O amoris uis immensa. solus igitur IESVS CHRISTVS sapientia & uerbum patris in cuius sapientia conditus fuerat cum mundo homo seipsum uincendo in bonitate & pietate redemit nos miseros natura ita male affectos ut per nos quidem malam nostram naturam agnoscere nostramque condemnationem legere in pectore possemus, mederi nobis minime. Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine. (ait Iobus) nonne tu qui solus es? O Cæca gens Sarracena & Iudæa agnoscitis hominem esse peccatorem egereque deo, & tamen negatis eum qui medetur peccatis. Minimum peccatum mundi est infinitum (nam peccatum nostro more pro uitio philosophorum capio) quia ab infinito bono homini præfixo auertit & contra deum qui est infinitus peccat. Quod autem infinitum committit id est infinita pœna dignum, quum sit finitum quod agit, soluere infinito nunquam potest. Quare necessario opus est mediatore satisfacere potente & rigori iusticiæ & innocentiæ instaurationi. Soluere habet qui debet aut dare uadem & solutorem qui liberet. deus homo factus seipsum dum fit homo uicit, & æquitati diuinæ per humanitatem deo iunctam iustitiæ legibus seruatis satisfacit. Quum sitis peccatores. O Iudæi uester Messias purus homo

ut expectatur est impotens satisfaciendi nomine ue-
stro. Creatura enim finita pro infinito delicto solue-
re non potest. Posuit dominus in IESV homine deo
iniquitates omnium nostrum. seipsum uicit deus duobus
illis modis quibus laudabiliter homo ad uirtutem con-
tendens seipsum superat. Nã primo dimidiam sui partẽ
superat corpus scilicet; & demum uirtute uirtutem in
dies superare seipsumque seipso meliorem efficere quo
magis profuit satagit. Sic diuina prouidentia æqua
deus omnia lance librans, ueluti pro essentia duas pro-
prietates habens iustitiam & misericordiam, omnia o-
mnibus per eas distribuit. Ipse actus bonitate (qua om-
nes homines docuit bonũ quo communius eo diuinius)
nobis primo cœlum, stellas, elementa, sata, uegetabilia
mineralia, uiuentia, sentientia condidit deditque ante-
quã essemus. demum nobis esse ut cæteris utique paratis
in rem nostram dedit, tantamque et mentis & corporis
uim, ut cogitando potius in stuporem quam in omniũ co
gnitionem sibi collatorum quisquam ueniat est imparti
tus. Hæc est lex bonitatis et misericordiæ. prima loco est,
si tamen prius illic dici potest ubi sola unitas est. con-
iunctissima huic est iusticia. Nam ita omnia dedit ut ex
æquo omnibus impertiri uoluerit. Id arguit dierũ pari-
tas, statis tẽporibus noctiũq; æqualitas ubiuis terrarũ.
eadem omnibus lex nascendi, utendi, moriendi, fruẽdi
formæ et materiæ cõsimilis usus, sensuũ corporis idẽ mu
nus, aĩmi eædẽ dotes. eius quod iustũ est in omniũ ani-
mis æqua cognitio. Vt ĩde discerent mortales quãto plu
ribus cõmodis ex tãto munere fruerẽtur tãto pluribus

aliis hominibus debere opitulari, dominumque magis ex animo agnoscere, illiusque in animo nostro scriptis legibus obsequi. discerent etiam quanto maioribus animi dotibus pollerent, tanto grauius & in legem dei & in rem proximi peccare. Itaque impietas Iudaica non est quod eleues peccatum Adami ueluti pusillum et indignum pro quo sit posteritas & Christus mortuus. Fuit perfectißimus Adam et eius coniux. quumque peccatum sit tanto grauius quanto maior est qui peccat is quum esset perfectissimus peccauit grauissime & infinite, grauissime ob scientiam, infinite ob iniuriam deo infinito factam penamque infinitam illi ob eam rẽ debitam. Vt ergo ad rem, suam æquitatẽ summam quam debebat cum perditis hominibus eius beneficijs abutẽtibus exercere deus, uinci à misericordia permisit, quũque ex æquo in eo utraq; par authoritate esset uictrix tamen iusticiæ bonitas & amor fuit, et ita primo modo ueluti dominata est iusticiæ misericordia, partis pars altera, demũ quũ tanta contulisset creando quanto maxima fieri poterãt, uoluit etiam ad creationem addere reparationem, ut qui solus poterat creare, suam bonitatem maiori uincẽdo etiam redimendo, inque integram ualetudinem restituendo se per omnia superaret. Hoc est nostrum exemplum in Iesu homine deo positum, ut nil putemus præclarius quam ueri hominis in seipso uictoriã perpetuo reflorescẽtẽ. perfectione itaq; et summa dei oĩa perfecta in se habẽtis misericordia dignissimũ, nostræq; naturæ omnino necessariũ ad cõplementũ uniuersi, expediens fuit Iesum fuisse esseq; hominẽdeũ.

Illo posito ut necesse est sequitur necessario & immortales esse animos & futuram resurrectionem & iudicium extremum. Ex prædentibus enim liquet. Nam mundus quũ sit, à seipso nõ est (quem syllogismũ de industria uolo crebro repetere ut nunquã à memoria excidat) quũ nil seipsum gignat aut faciat creetue. Quũ habet causam alicuius finis gratia factus est. nã nil frustra in natura fit. factũ est uniuersum illud in usum hoĩs igitur homo est factus maioris cuiusdam rei quã mundi gratia. Nil mũdo maius est præter deũ. erit igitur homo ĩmortalis et fœlix ob benefacta & similitudinem in hoc mũdo cũ deo seruatã, infœlix ob deperditam, at quia solidus homo egit bene & animo & corpore solidũ etiã quũ sit deus iustißimus mercedẽ eum recepturũ constat. unde erit necessario futura resurrectio horum nõ aliorum corporum. quumque impij quo hic fuere nequiores & rebus secundis magis elati, pij ediuerso aduersis preßi fere semper fuerint, deus æquißimus retribuet uincuique pro meritis, æternique fient tot dij quot boni fuere homines. hæc omnia consequuntur ex præcedentibus, confirmabunturque sequentibus.

A Ratione magnitudinis.

Quoniam in hoc totius uitæ nostræ cardo uertitur, totiusque naturæ complementum & finis in hoc est positum ut homo cuius causa mundus est conditus fiat deus, nitendum etiam est ut quibus rebus id posit cõsequi diligenter dispiciamus. deus naturæ parens quæcunque ad summam magnitudinem eius faciunt omnino

ita exequi debet ut nil quod possis in homine magnum dicere naturaliterque probare intentatum reliquerit quoad hominē comite libertate arbitrij ad æternā usque fœlicitatem adduxerit. Videamus quid naturaliter magnum in insigni pietate uiro iudicaremus, uerbi gratia in patre erga liberos, & demum in principe erga subditos. Pater filium educando tam liberaliter & copiose ut nil illi omnino ad bene beateque uiuendum deesset, si contingeret eum filium per imprudentiam & sui animi confidentiam neglecto patre ad alium deficere patremfamilias, apud quem præterquam quod esset longe deterrima conditione & uolens miser etiam hæreditate paterna priuaretur, nonne paterna pietate dignius maiusque iudicaretur si ille pater relicta etiam reliqua familia se ad filium illum spōte pereūtem conferret, quam ut perpetua quadam ira aut socordia negligendo illū merito suo perire sineret? Equidem naturaliter hoc quiuis iudicabit esse seueritate maius et angustius paternaque beneuolentia dignius, filio tam misero succurrere, & ita succurrere ut quicquid impendet illi periculi aut debiti aut cuiusuis nexus dissoluere atque etiam periculo capitis illi prius cauere quam pereat. hoc sane paterna charitas & benignitas licet merito extorrem & abdicatum posset negligere cum maiori laude quotidie facit quam ut meminerit semper iiuriarū. de pricipe erga subditos eadem plane lex est. Nam ut inquit Plato & post eum Cicero qui seipsum uicerit idest irā in male meritū cohibuerit proximus deo iudicādus est. Mīsuetus ergo prin

ceps & ab omni parte beatus quiq; in idea potius quã in rerũ natura sit, nonne maior per clementiã in delinquẽtes prouincias et ab eo opera inimici solicitãtis deficientes se ostẽdet illos adeundo et pactum cum aduersario initũ dissoluendo & etiam periculo capitis illos in pristinã libertatẽ asserendo, quam illis neglectis in errore infœlicitateque & bello continuo relinquẽdo, aut ad internecionem cedendo, hereditatemque uacuã relinquendo? est sane longe maior & celebrior & ueluti pro deo habendus qui ita potius quàm aliter facit. Est eodẽ argumẽto amicus amico. Nam quis rogo usquam gentium maior amicus reperiatur quàm qui licet damnũ acceperit probra plagasque passus sit ab amico nihilominus tã arcte illũ amare pergit beneficioque demereri satagit ut mortem pro eius salute subire non uereatur, imo æquißimo animo ultro subeat ut æterna poßit esse ab eius saltem parte amicitia? Nil cærte maius tali amico nil charius unquam posset contingere. inde non in hominum sed deorũ numerum cẽsuit reponẽdos antiqua licet falsa religio qui eo uenerũt amicitiæ ut mortẽ nõie amici oppetere nõ timuerint sed appetiuerint, Testis pylades et orestes, Damõ et pythias in hoc natura summũ esse docuit. Quum uero quæcũq; summa secũdũ uirtutẽ et animi magnitudinẽ sunt, ea sint in deo ueluti suo fonte amplissima, etiam magnitudinis dei est ut subleuando hominem miserum (cuius gratia condidit mundũ licet per peccatum infinito supplicio dignũ, naturam sibi in summa perfectione datã spõte acquiescẽdo iam deprauatæ potentiæ separatæ cõmaculauisset

posteritatemque labefactauisset) qua arte potest ab humanissimo patre, mitissimo principe, fidissimo amico succurri, eadem illi per omnia succurrere, ut quod praestantissimum est per omnia de se misero praebeat. Nil autem maius nomine amici subditi uel filij potest poni, quam ipsa uita, ut inquit Iesus Christus Maiorem charitatem nemo habet quam ut ponat animam pro amicis suis. At quū diuinae magnitudinis sit ut pro homine faciat quod summū est, & summum sit pro homine mori nō potuit in deo fieri qui incorporeus impassibilis & immortalis est, quare opus fuit deum hominem fieri ut haberet in quo lueret quod summum fuit pro homine soluere. Nam tale quid debuit pro sua magnitudine facere deus ut quum omnes saluare uellet ueluti eorum pater & posset ut deus & debebat ut iustissimus. itaque deus homo factus est in Iesu Christo in quo infinito ob diuinitatē ipsi iusticiae dei cui infinita satisfactio debebatur iure persolueretur. Quū enim omnes homines peccassent, unus homo non potuisset pro omnibus luere, sicque factum est ut summa clementia dei carnem sumens mortem subierit acerbissimā, ut nobis uitam redderet, sibique ipsa pro nobis de suo satisfaceret.

Appendix.

Ab eadem magnitudinis ratione etiam pendet resurrectio, iudicium, & uita aeterna. nam quisquis optimus potentissimus maximusque est, tanto maior illi gloria (quae est magnitudinis & potentiae propria) accedit, quanto latius eius patet in suos beneficiū. ideo quisquis habet unde possit quosdam sine dispendio & cum

summa gloria demereri, id tanto magis facere naturaliter studet, quāto latius eius potest patere beneficium. Hoc monstrat omnium mortalium studium, quo summo etiam dispendio conquirunt naturaliter opes & magnitudinem, ut uel ipsas in eos qui una uiuunt aut in posteros dispergant liberisque relinquant quam diutissime possidendas, aut pro sola pompa & fama utantur cæteros fumi non rei participes faciendo. esset uero longe perfectissimus pater princeps amicusue si (postquā mortui sunt pro salute) suorum reminiscēdo illos omnes sibi similes & coheredes æternæ hæreditatis facerent. At id stat per impotentiam quominus fiat. præstantiam illam naturaliter omnium animis probatam debet habere deus, nullius perfectionis exors. quum uero sit æternus potisque solo uoto omnia exequi, nō est dubium quin hominem illum quem creauit seruauit & redemit etiam uitæ corpore & animo restituat, unaque regnare faciat, & quia iustissimus est multos nō linquet suos sed antequam in æternam requiem suscitatos transferat illorum suosque hostes (nam nullius est hominis alterius hostis aut eum lædit quin diuinæ iusticiæ ideo sit obnoxius quod filium dei & fratrē læserit) æterno mācipabit supplicio. & ita postrema mundi catastrophæ inita mundus consequetur eum finem in quem constitutus est homine æterno reddito. fiet uero tunc opus potissimum ad totam trinitatem nulla distinctione personarum obseruata pertinens. creatio enim quodam modo magis ad patrem, id est ad summam quandam potētiam per sapientiam in amore agētem, redemptio per-

tinet magis ad solam sapientiam & filium, regimen ecclesiæ quia in ea est uera praxis piæ uitæ, pertinet ad effectum & uoluntatis ex æcutionem, at præmium ipsum & beatitas deificatioque ex æquo exhibitionem trium personarum spectat. Sic uidemus in tota fieri natura & potissimum in arte quæ ab ingenio hominis diuinitatis imaginem in se habentis proficiscitur. Nam cogitatio totam rem habens creat quodam modo, uerbum aut scriptura explicat reformationem, & opus rem absoluit, sed in usu rei ueluti residet illa animi potentia suis functa officijs. Hæc de magnitudine.

A necessitate.

Statim quodam posito eius etiam causam ideo ponere necesse est, quod nil in tota rerũ natura est quod à seipso oriri possit. Nam ut sæpius inculcandum duco, res fuisset antequam esset, quod implicat contradictionẽ. Licet igitur multi Pyrronici & nostræ tempestatis athei hominem tantum hominem generare aut ut Peripatetici addant cũ speciæ procreatrice seminis agere solem, tamen etiam ad aliquod primum uenient necessario, quod extra se causam habet ut in artibus. Venietur itaque ad quandam unitatem numeri antequam ullus numerus earumdem rerum consurgat. porro licet sol ad omnium generationem concurrat, tamen quum constet materia & forma habeatque esse sensibile necessario habet extra se causam deum. Præterea licet in his quæ seminibus concipi solent (quanuis illic maxime patet diuina actio) dicãt esse naturæ rerum inferioris causas, tamen molis mundi ex quo omnia materiã & for-

nam capiunt, necessario admittent causam unam, quæ esse illi dederit. Quū enim esse habeat, sibi dedisse nō potuit, nam daretur inconueniens illud impoßibile, ut res esset antequam esset. Sequitur itaque ut omnes fatētur philosophi etiam Epicurei (licet hi īcuriosum somnolētumque deum & labori obnoxium admiserint) quum causa uniuersorum sit deus & mens mundi eū finis causa tantum opus suscepisse. Nam nec deus naturaue aut ars eius simia quicquam temere componit. Necesse est igitur mundum factum fuisse cuiusdam rei gratia quæ ipsa res lōge præstantior est mundo. Siquidem iam uisum est, Meliora esse quæ sunt finis quam quæ sunt ad finem. unde sequitur, quum res totius mundi præstantißima sit æternitas in fœlicitate & fœlicitas in æternitate eius gratia mundum esse factum. Nam præstantissimum gratia præstantissimi fieri iam est concessum. Sequitur etiam mundum istum qui nunc est, ut nunc est, in actione non posse esse æternum. Nam non esset inferius quoad finem facit, eo quod est in fine. Quoniam autem fœlicitas non habetur sine aliquo usu & fructu rerum, mundi materiam in usum æternitatis repurgari necessario oportebit, sed actio cessabit. Hoc natura docet in singulis. Nam quæ sunt ad finem in ipso fine non sunt, ueluti labor et solicitudo purgandæ componēdeque in ædificium materiæ non sunt in quiete & fœlicitati habitationes necessariæ, sed ipsa purgata et ægregie dispo sita ī opus materia adfert cū fœlici gaudio qetē constructori aut domino et suis. Nunc ad rē. Necesse est deū præstātissimum cōstruxisse tātū opus præstan-

tissimæ rei cui uult assimilare hominem, causa, ut scilicet qua est ab æterno fœlicitate eam impartiret quibus cõstituisset. In quorũ uero gratiũ hoc opus cõducit immortales necessario futuros statuit. homo ergo cuius gratia cõditus est mundus futurus est ĩmortalis. At immortalitas sine fœlicitate, summa est infœlicitas, quare oportet hominem æternã fœlicitatẽ. posse per arbitriũ instauratũ & in bono à factore adiutum consequi. Nã alioquin mundus frustra factus esset si nullus homo beatus foret. Quum uero ad homines in officio retinendos sit opus legibus & doctrina per quam caueant uitia corporis, illam naturam esse peruersam oportet. Quũ sit peruersa à perfectione creatoris decidit. nam omnia bona fecerat ut probe in suis degerent naturis spõte naturæ. Quum sit æterna fœlicitas in quam tendit homo per pietatis artes omnino expers infœlicitatis uitij scilicet nequitiæ, & erroris futura oportebit ab omni parte beatos solum illic admitti. Nam in fœlicitate humana naturaliter hoc nouimus nullum uitiosum aut ignorantem stultumue posse esse beatum. nec per uitia & ignorantiam usquam eo perueniri ut ab omnibus iudicetur beatus, qui ita se ad fœlicitatem comparauit. multominus ad summam illam & ab omni parte beatã per peccatum licebit aut cum peccato irrepere. Ignorantia non nocet illic nisi suppina & affectata. Quum ergo sit natura hominum peccato commaculata et per peccatum aut cum peccato eo non posit iri sequitur nullum hominem id de se posse cõsequi ut eo pertingat. Nec enim nisi qui legitime certauerit quis meretur co-

ionati nec præmiabitur qui non satisfecerit numera-
riò. Homo itaque sua sponte à perfectione à deo data
deiectus (quod patet per uitium omniū corporibus im-
pactum) nec in perfectionem naturæ per se redire nec
ad beatitudinem cōtendendo peruenire suis uiribus un-
quam poterit. Opus est ergo misericordia dei quæ ipsa
remittat delictum naturamque reparet. Quum uero sit
deus summæ iustus perinde atque misericors, præmittit
quidem homini erroribus obsesso misericordiam, at nul-
lum scelus inultum uult relinquere. Quum uero homi-
nis peccatum contra dei bonitatem immensam sit infi-
nita pœna dignum ob infinitum dominum offensum, nul
lus homo tantæ iusticiæ satisfacere & hominē in liber-
tatem denuo asserere potuisset. Pariter nec deus ipse ser
uata iusticia potuisset rependere pœnam dignam pec-
cato. nil enim ut iam dixi pati potest deus. at pati pro
peccato expiando opus est & ita pati, ut quemadmo-
dum infinita pœna debetur etiam minimæ in dominum
infinitum offensæ, ita etiam aut infinita detur, aut ab eo
qui infinitus est quanta potest pati corpus detur. Nec
deus igitur solus seruata iusticia nec homo purus un-
quam posset satisfacere deo. Quare necesse fuit in uno
subiecto coniungi utrāque naturam, ut quemadmodum
natura humana per suam paruitatem impotens satisfa-
ciendi erat, ita fieret quodam modo infinita & propria
ad satisfaciēdum iusticiæ diuinæ ut misericordiam mi-
seris & suo fine destitutis porrigeret infinitā. Hoc fe-
cit & in se recepit Iesus homo deus diuinitate miseri-
cordiam dei promens & infinitam potentiam naturæ

humanæ largiens in se, ut omnium nomine lueret & omnibus in cœlos uiam sterneret. O Iudæi miseri hic est uester redemptor. Oportuit ait Paulus noster Christum pati & ita intrare in gloriam dei. oportuit, necesse fuit ne mundus factus frustra remaneret, hominemdeum quo nil tota natura excellētius habet, et una misericordiam & peccati infiniti expiationem sufficientem adferre. Non sunt ergo eius excellentiæ quales miseri creditis. Tyrannorum & principum mūdi furiis agitatorum more in rem unius gentis cæteras omnes conficere & seruitute opprimere, luxum & splendorem unde bella & lites iniuriæque oriuntur suis ciuibus, ut falso creditis suppeditare, corpori per omnia prospicere, non erat Meßiæ uestri. Deus esset nomine dei indignissimus si totis bis mille annis ab Abrahamo ad Iesum scilicet, per tot prophætas prædonem tam insignem & qui in toto terrarum orbe innumeros socios illi proximos esset habiturus, tantopere cœlebrari & expectari iußisset. Digna deo oportuit esse quæ in Messia contigerunt aut (ut uultis) contingere debebabant. Vt omni naturæ humanæ (non solis Iudæis qui nō dum erāt) Deus creator ex æquo prospexit, ita & per omnia similem quem missurus erat credere oportuit. Ideo quum promissus est Abrahamo non dictum est illi in semine tuo benedicentur Iudæi, sed omnes gentes. Solus deus idem qui & omnium creator potest benedicere omnes gētes. Ex eo loco oportet illū et credere omnipotētē qui poßit omni naturæ prospicere, & hominē qui reuera ex genere Iudaico Habrahamiue posteris

nasceretur. Hæc est sanctio diuina, & rationi & sacræ authoritati cõformis. aliter nõ potest expiari peccatum infinitæ culpæ nisi per solutorẽ infinitæ potentiæ. Quia uero de pœna agitur, ut omnino maior & durior quam quæ poßit natura pati, esset, necesse est. Attendite Iudæi dotes Meßiæ expiantis infinitas in se credentium culpas. Quamuis Iesu seruatori nostro non contigissent quæ scripta habemus in Euangelio, necesse tamen est & ratione & authoritate colligere quod quæcunque contigissent Meßiæ, eadem plane sint cũ his quæ Iesus passus est. Deum oportebat necessario hominẽ fieri, opusque erat quibus rationibus iam dixi. & quia ad pœnas in natura assumptas ueniebat quicquid usquam est miseriarum poßibilium in natura, eas suscipere læto & parato animo (licet carne esset totius mundi tenerio re delicatioreque) oportebat. & quia peccatum primum ex quo cæterorum radix oritur superbia erat, medelam à contrario poscebat, ita natus est Iesus ex uirgine pauperrima, licet regij esset generis. ita nasci debuit ut ex re in mundo dignißima oportuit, & ne omnino quicquam commune cum cæteris hominibus haberet & tamen omnium naturam in se retineret quod docui ample primo libro de orbis cõcordia. Rex cœli & terræ iunctus est carni naturæ infimæ. Sub dio inter belluas natus, ueluti expositus nõ habuit à quo tegeretur, licet recẽs natũ peregrini reges coluerit, tamẽ illi statim nato fuit exulandũ, sanctißimus inter peccatores uersatus est, altißimus humilimos sibi in consortiũ acciuit, dominus cœli et terræ nõ habuit ubi caput recli

naret. pascens mudu esuriit, & cætera oino altitudini diuinæ contraria in corpore suo ob peccata nostra pertulit. Tuæ itaque salutis necessitas O homo mundique complementum fecit ut Iesus homo deus tuæ satisfaciēs per summam gratuitamque eius bonitatem grauißimæ culpæ, eligeret infirma mundi ut fortia confunderet. proposito enim sibi gaudio sustinuit crucem, omni confusione contempta. Hoc terrenis inhians Iudæe Muhametane pagane & quisquis tuo amore laboras, quique tuis meritis petere posse cœlum credis, non capies. Te discutias oportet quisquis cœlo tectus uita frueris rationali. offensam in deum quisquis admittis teque agnoscis peccatorem à naturæ à deo datæ perfectione excidisse (quū infinita minima peccati macula ante deum sit) senties, per teq; non magis resurgere posse quā domus postquam corruit seipsam restaurare. Hæc uolue animo quisquis salutem quæris. quære hominēdeum Iesum sine quo impoßibile est consequi salutem O centies millies millies centena hominum milia et quotquot possint numerari pereuntia per unum Muhamedem & falsos Iudæorū rabinos. O quot populis fascinauit mentes diabolus ne in se descendant? Necesse fuit itaque Christum hominem deumque pati probrosißimā mortem in summo amore (unde satisfactio) pro infinita pœna peccati ut ad diuinitatis uiā repedaret homo. Necesse fuit surrexisse, & scalam in cœlum conscendendi per eandem uiam atque ille inceßit fecisse. Fugitis O miseri Iudæi Muhamedici pagani, & uos miseri Christiani rebus terrenis dediti, fugitis insignia authoris salutis calamitas

tes,probra,morbos,mortē. probro uertitis afflictis suas afflictiones quas illis in salutem dat deus. Necesse est ut saltem affectu miserias amplectatur quisquis uult eum finem cuius causa mundus est factus consequi & amore qui affectus solus in nobis est infinitus se deo afflicto creatori conseruatori & recreatori iungat. nilque aliud ob oculos habeat quam qua uia redemptor incessit quantum fieri potest incedere,& quū nil posit deo præter amorē dare:seq; in hoc per dotes animi corporis & fortunæ deo probare,ut quæcunque in se nouit posita ea in fratres alios homines eodem patre natos, eadem morte Iesu actu uel potentia redemptos conferre.

Corollarium.

Iisdem neceßitatis legibus cogimur ut propositū uoluntatis dei fiat,etiam credere esse animos immortales & futuram resurrectionem districtißimumque omnium iudicium in quo uix iustis licebit esse tutis.Nā nisi solidus homo deberet eum finem diuinitatis consequi non opus fuisset hac mole mundiali data solido homini ut inde deo gratijs litaret et alteri homini secundū neceßitatem suam opitularetur,nisi etiam solidus homo ut solide animo & corpore se probare deo sategit susciperet præmium aut lueret pœnas iudicio districtißimo examinatus,in quo et cogitationum non tantum malarum,sed etiam uanarum,uerborum, & facinorum,omnium iudicium patefiet συνῃδήσει accusante,et deo iustissime pro meritis omnia reddente.O qui falso fine uestra

opera putatis Christum uobis omnia soluisse. O miseri hæretici, qui totam pœnitentiam scelerum reponitis in solam dei misericordiam neglecta anteactæ uitæ pœnitentia. Vos opus fuerit quod potuistis iūgere dei misericordie & amori, per quas solas imperfectiones nostræ solidari possunt. Poterat Iesus solus deus sua sapiētia prætermissa ratione iusticiæ nos à morte liberare, at tantum abfuit ut uoluerit, ut nomine iusticiæ non misericordiæ passus sit quæcunque passus est. & tamē securi de præteritis sine ieiunijs, lachrymis, afflictionibúsque corporis ob peccata uobis adfuturam gratis per fidem et spem salutem putatis. Erratis qua uia Iesus incessit est eundum. Ideo abijstis in reprobū sensum quod neglecta est à uobis pœnitentia. uenditetis uestram fidē & amorem quantū uolueritis, sine afflictione non peruenitur ad deum. Iudiciū dei uobis ideo erit in cōdēnationem, quod quæ facta oportuit & quo modo oportuit neglexistis, nec in peccatis posuistis. Hæc est mundi pestis, quæ sunt maxima peccata uelut amor sui, ea maxime negligit mūdus, ut quæ illo uergāt ne peccata quidem esse putet & tamen amor proprius deum negat & fratrem filium dei non agnoscit immo opprimit. hoc est barathrum animarum, quum securæ & in cæterum ueluti suis officijs functæ & absolutæ è uiuis ad inferna discedunt amore sui plenæ.

Ab amoris natura.

Amorem esse rerum omnium causam si quis affirmet, uero consona imo uerissima dicat. Nā si diligenter per naturæ & artis fines percurratur, uidebitur cau-

sa finalis prima in mente agētis fuisse. at nunquam causa finalis (cuiuscunq; rei sit) potest mouere ad opus sine amore. Verbi gratia quum de construendo ædificio ago, opus est me amore cuiusdā habitationis quæ mihi aut meis est necessaria utilis aut etiam honesta moueri. nisi enim afficerer ad eam habitationem, ita ut libenter & operam & curam & materiam & impensam eius gratia suscipiam, non ædificarem. Ita nos monet amor noster uel nostrorum ut nil laborum non suscipiatur nostro uel illorum nomine. Sic deus cuilibet uiuenti speciei dedit um (licet nō intelligat quid sit amor) ut tamē curiosissime tegat semen si sit planta, cū maxima solicitudine educet fœtum si sit animal. ut uero hoc charius esset, cæteris animantibus uoluit deus magna illa ueneris illectamenta intercurrere, ut ueluti memor illorum natura non refugiat educationis suscipere molestias. Quum hoc in tota inferiori natura uideatur, oportet à summa mente mundi in omnes res profluere, & eam maxime secundum amorem agere & construxisse mundum. Videmus in primo nil posse in esse deduci à deo nisi potentiæ & sapientiæ accessisset amor. Potentissima itaque & sapientissima diuinitas antequam mundum creare aggrederetur amorem maximum ad quendam finem cuius causa tantam machinam conderet habuisse necessario intelligitur. Amor ille sibi rem amandam proposuit meliorem quā quæ causa illius fieret. At natura docuit oēs homines et religiosos et philosophos mūdū à mēte diuina propter hominē factū. fuit ergo natura humana a deo precōcepta et amata anteq̄

mundus fieret causa dei. Constat itaque amorem diuinum in naturam humanam esse causam uniuersi. Quum uero mouemur amore in aliquem tunc ut sit illi optimũ esse (quatenus in nobis est positũ) curamus & eo tendit noster labor. ueluti quum causa filij emo prædia, construo ædes paro opes, nõ eo solum facio ut illa habeat, sed illis bene utendo diutißime fœlicißiméque uiuat atq; adeo si in nobis esset positum ut æternum duret uiuatq; fœlix. Sic deus amore in hominem actus non tantum mũdũ uoluit creare homini ut eo potiretur, sed ut eius medio & adminiculo in diutißimam fœlicißimámque uitã quatenus per eum licet deueniret, finis enim naturæ nõ est simpliciter uiuere sed bene perfectè & beate uiuere. Quum itaque deus solo uoto quæcunque uult faciat & tantopere hominem antequam esset amet, eum esse etiam æternũ uelle pro laboribus in hoc mundo cœptis certum est. Nam amor dei est perfectißimus. quod est perfectißimum in nullo deficit, & eo magis uiget quo magis extenditur. bonum enim & amor in hoc conueniunt ut quo latius communiúsque patent tanto meliora putentur. Quum enim cætera participatione decrescere soleãt solus amor cõmunione crescit. Amor igitur diuinus uoluit ob amorem hominis uita fœlicißima in æternum potituri condere hunc mundum ut in eo laudaret & redamaret datorẽ, & quantum amaret illum id demum doceret in fratrem alterũ hominem uidelicet. Nã latißime non pateret ille amor si non quatenus patet amantis potentia etiam pateret. atqui potentia dei est æterna, igitur homo tantum ut mũdus eius nomine crea-

retur à deo amatus est imortalis. Nam sola uoluntas amãtis summa perfectione rem amatam facit, ut quod est in tota potentia præstãtißimum amato detur. Inter amicos enim sunt omnia communia & si quis amet ex animo quanuis amatum non respondeat tamen non relinquit quin faciat illi omnia cõmunia. Si enim aliquid illi cõmunicatum nollet imperfectæ amaret quod deo nõ est tribuendũ. factus itaque homo est ut sit immortalis & deo in æternum post decursum uitæ mundanæ, & afflictæ, uniatur in perpetuum. Iam sæpius est in superioribus demonstratũ hominẽ ab optima conditione naturæ excidendo amisisse scopum in quem creatus erat, nec infinitæ in deum offensæ quum sit finitus potuisse satisfacere, unde aut mundum imperfectum remanere oportuit & hominem æterna natura donatum infœlicißimũ cõstitui, aut aliquem nomine eius soluere, qui homo esse solum non poterat, quia infinito debito non satisfecisset, nec deus quia pœnæ peccato debitæ per tormenta iuste satisfacere non potuisset, quare idem amor (ne ulla in parte amato deesset) qui creauerat ad uitam æternam etiã deum fecit hominem ut redderetur perdita libertas amato, & ille ad suum finẽ dei hominis opera peruenire posset. Iesus itaque Christus homodæus à singulari amore actus in terram uenit peccatorem hominem saluũ facere, & pro summo amoris testimonio pro homine mori, & in salutem eius resurgere. Morte redemit à debito infinito, resurrectione iustificauit. Nã frustra illum soluisset nisi pristinam libertatẽ omnino reddidisset. Quum enim quisquam uult captiuum liberare

primo eius redemptionem domino soluit, & demum libertatem illi consignat, est itaque catastrophe salutis nostræ resurrectio Iesu Christi, qua iustificatio illis redditur qui credēdo in Iesum in eius paßionis uirtute abluuntur & imitari per omnia liberatorē student. Quū uero sint opera libertorum illorum imperfecta modo per amorem condiantur, & peccata ideo quod in tantum amorem commissa sint, defleātur, eodem amore illo sibi æternam fœlicitatem acquirunt per libertatem arbitrij restitutam.

Corollarium.

Amor ille æternus qui præuidit æternitatem quam in se habeat impertiri homini & quouis modo illi succurrere quoad beatus fiat statuit, immortalitati animorū non defutura corpora uoluit. Nam fuisset ille imminutus amor dans minus quam posset, nisi in solidum hominem mundi cultorem etiam suam beatitudinem eternam cōtulisset. Quum uero amor omnis quo est maior eo sit sincerior & perfectior (nec enim obcœcat more mortalibus communi quum sit in præstantißimo subiecto) discretionem diligenter inter amandum obseruat, quare & illi qui dißimulanter amarunt, aut se plus quā amantem amarunt, aut amorē suum in fratres non exercuere ab eo diligētißime discutiētur, ibuntq; illi qui redamarunt in uitam beatam æternam, qui neglexerunt in tenebras æternas, ubi foret illis satius nunquam esse natos. Nā ut æternitas cum fœlicitate est summum bonum, ita cum infœlicitate summum malum est. In eis fuit positum ut restituti libertati aut sæpius ad eā uocati resipisce-

rēt & deū redamarēt redēptorē, in qua re quia denuo præuaricati sunt cū infinito sui amore quod erat illis pro summo bono est pro summo malo. Hæc est amoris lex & uirtus. A Contēplatione boni.

Beneficentiam esse maximā primámque diuini in homines numinis significationem non pauca arguunt. Imprimis ea philosophi sententia nunquam non obuia Bonum quo cōmunius eo diuinius. Diuinissimum itaq; quū sit esse beneficentißimum, manifestum est deum quæcūque habet in se perfectissima quantum fieri potest cōmunicasse omnibus creaturis pro ratione captus earū. omnibus esse dedit, quum fontē essendi in se habeat indeficiētem. secundo in loco esse & uiuere dedit quum solus uitam haberet in semetipso. Nam ut dixi nil seipsum creare aut quacūque re sponte dotare potest. nec enim si uellet, saxū fieret planta aut ediuerso ut aliunde rerū constitutionem pendere constet. dedit tertijs sensum cū essentia & uita quæ omnia in bonis ideo habenda sunt quod maxime eligenda uidētur & eo magis quo magis ad ratiocinandi naturam accedunt. Nā bonum est esse at melius eo est esse & uiuere, et item melius quod præterea sensum habet; omnium uero præstantissimum est quod quatuor genera in se complectitur, essentiæ, uitæ, sensus, itelligentiæ seu rationis. Docui uero in primo lib. quomodo eius sanctæ trinitatis imago in omnibus rebus relucet quod maximū bonū est: nā īde dimanat inexhausta uis agēdi secundū suā naturā; & ab ea ui indefessa progreßio eius actiōis sine potētiæ cōsumptione, et ab utraq; facultate procedit agēdi sine fatigatiōe

ſtudium & delectus ut illic uiſum eſt. taceo materiam formam compoſitum, ſubſtantiam proprietatem actionem &c. quibus deus ſe maxime creaturis cõmunicat. Aequum uero fuit deũ ipſum qui maxime à collatis beneficijs deus uidetur, maximæ creaturarũ & cuius gratia omnes cæteras condiderat etiam maxima ea bona quæ in eo ſunt ſumma & præcipua communicare affatim. Summum in deo eſſe eſſentiam cum fœlicitate æternam nullus negare poteſt. Quum ſit deus beneficentiſſimus & infimis infima, ſummis ſumma beneficia conferat etiam naturam totius mũdi ſecundum deum præſtantiſsimã, debuit pro ſua munificentiſsima natura ornare maximis illis æternitatis perpetuæ muneribus. itaque natura humana eſt facta immortalis. Nam ſi quis id negaret conuincerem ex eo quod niſi ita eſſet fruſtra mundus factus eſſet, & deus non eſſet abſolute munificentiſsimus, qui aliquid ſibi incõmunicatũ ſeruaſſet. ut itaque latiſsime eius ſapientia, potentia, munificẽtiáque ſumma pateret illam oſtendit & cõmunicauit quãtum fieri potuit illi qui laudibus illam celebrare & efferre & ex conceſſa parte hominibus prodeſſe conaretur, potentiã dedit uarijs in rebus omnipotẽtia reſeruata, ſapientiam dedit omniſcientia reſeruata, quoniam creatura non eſt tanti capax quum ſit finita. Sicque de ſingulis boni partibus factum eſt. Abuſus libero arbitrio homo (quod inſigne munus eſt) excidit à perfectione naturæ ſuisq; miſerijs delectari neglecto æternitatis ſcopo cœpit. Quũ autem immortalitas ſit perfectiſſimum bonum coniunctum potentiæ & fœlicitati abſo-

luta imperfecta natura eo non potest pertingere. Nam *inordinatio & peccatum quod res in nō esse trahit, repugnat nil cum æternitate & fœlicitate commune habens.* Præterea *quum maxima beneficia collata in liberam naturam obligent eum qui recipit ad gratiarum actionem & repensionem cuiusdam rei, impoßibiléque sit ei condigna referre qui infinitum malum loco gratitudinis est amplexus, à suo gradu fœlicitatis homo exclusus fuit, impotênsque satisfaciēdi atq; opus habuit ut illa eadem bonitas quæ tot munera dederat, etiā perdita restituerit.* Quū *nulla perfectio boni in deo poßit desyderari, etiam largißimā bonitatē extendit ad eum cuius causa mundus factus est, sibique debitū æternum à seipso diuinum numen accepit.* Nam *in infinitum nomine ingratitudinis & pœnæ admissæ reus non potuisset deo datori soluere homo, quare deum hominē fieri ut utramque partem impleret oportuit, errantem scilicet reduceret possessorem mundi, obæratum in infinitū absolueret, & sedibus cœlestibus restitueret.* Hæc *fuit cumulatißima bonitas et longe creatione maior meliorem constitutionem restituti quam creati fecisse.* Hoc *fuit sapientiæ uerbique dei patris opus accepta in se carne quæ peccauerat ut illic lueret pœnas ad iusticiæ usque satisfactionē. uide quid potuit ampliusfacere pro te deus O homo à potentia dei per sapientiam in amore esse accepisti perditum te tibi restituit etiam incogitantem sapientiæ dei bonitas seipsa, non per gratiā tantum & potentiam sed per personæ unionē tibi iungens.* Hoc *fuit æternæ beneficentiæ munus, ne ulla maior bo-*

ni cõmunitas quã ab ea se offerret. Appendix.

Licet in creatione conseruatione recreationeq; maxime diuinum beneficium pateat, tamen non satis habet deus nisi etiam sibi semel deuinctum hominẽ ad bene agẽdũ exemplo instauratoris adiutum, etiam in cœlum usque sibi iungat, quod ut fiat, quum omnes homines moriantur, necesse est resurgere & solidos homines refici ut solidam gloriam solidi mundi cultores recipiant, atque ut boni recepti rationem extremam reddant (nunquam enim est postmittenda diuina iustitia ex qua uis totius pẽdet æquitatis) Iudicioque extremo æternitati malorũ supplicia bonorum præmia appareãt.

A iusticia diuina.

Quemadmodum in tota rerum natura statas eius uices & tempestates cernimus, omniaque quodam tenore & ordine certo nasci crescere, consistere, & uenientibus alijs cedere conspicimus, ita iudicare debemus de diuinæ bonitatis præscripto, à quo habẽt omnia proprias conditiones. Nam quia tanta sapientia est, nõ potest non præscripsisse certas leges toti naturæ quam nunquã prætergrediantur eius arbitrio destitutæ partes. Hoc autem uel hoc uno argumento patet, quod præstãtißimũ inter mortales id esse, quod politice est iustißimũ, iudicamus. Nõ potest uero ita ab omnibus iudicari quin res ea ortũ habeat à deo. Quare in eo ut ante docuimus, summã esse iusticiam oportet, quæ non tantũ est in rebus ab arbitrio proficiscẽtibus intelligẽda sed pro præscripto ĩ cæteris haberi debet. Est enim ordini proxima eo quod illa ordinem in rebus seruari satagit. sed

hic illa quatenus est obseruatrix actionũ liberalium utimur. Homo ea lege factus est, ut per uirtutem agendo deũq; & fratrem rebus cuiq; debitis colẽdo, reciperet æternitatis præmiũ fieretq; deo æterno similis si uirtutẽ dissimilis si uitium sequeretur. Vtut enim esset futurũ semper eum manebat immortalitas. satis enim supra do cui cũ præstantiorẽ sua actione (quæ in hoc mundo est) finem debere consequi. Iustissimũ igitur fuit estq; eum qui ab alio & potentissimo beneficiũ in certã conditionẽ habuerit, quoties ingratus in datorẽ fuerit à beneficio excidere. Laudãdi datoris & iuuãdi proximi propriãq; innocentiam conseruandi pacto primus homo totam hanc molem bonorum & in se & in natura positorũ a deo acceperat, ut si pacto staret, etiã frueretur fine sibi proposito, sin autẽ munus quidẽ æternitatis reciperet à posteriore sed cũ summa infœlicitate cõiũgeret. poterat enim per liberũ arbitriũ homo utrãuis partẽ & obediẽdi & rebellãdi eligere. Nã alioq ut primo diximus nec uirt⁹ nec, uitiũ, nec bonũ, nec malũ, nec pœna nec præmiũ, nec iustũ, nec iniustũ, proprie esse diceretur, nisi à uolũtate proficisceretur. ĩ agẽtibus enĩ ex necessitate illa esse non possunt. Homo sua sponte à bonitate naturæ suæ deflexit, seq; præmio fœlicitatis priuauit, ut duabus ratiõibus sæpius est demõstratũ. bonã enĩ naturã et aĩmi et corporis acceperat, sed alterã labefactauit alterã tantũ non perdidit. factus ita est per infinitiã culpã iustitiæ seuerissimæ obnoxius. At quum ex diuina ordinatione dei post decursum huius uite spatium homo aut saltem aliqui homines fœlicitatẽ æternã cõsequi deberẽt, oportuit debitum persoluere infinitũ diuinæ sanctioni, quod

nec creatura simplex sola nec deus solus salua lege iu-
sticie potuit præstare, quare oportuit in uno composi-
to & finitum & infinitum coniungi deum. infinitum cũ
homine finito. ut homo infinitatem à diuinitate acci-
piens posset cundigna uoto & pœnis satisfactione iu-
sticiæ persoluere. Hoc autem munus peculiare sibi sum-
psit secunda trinitatis persona dei uerbum & sapien-
tia. Iustissimum enim fuit ut cuius personæ ductu totius
compositi naturalis partes collectæ ex natura elemẽ-
torum & compositæ diuina harmonia fuerant eiusdẽ
auspicijs in composito repurgari. ut licet domus fiat ex
æquo à domino & pictore qui ichnographiam, orto-
graphiámque ab animo exprimit & ab artifice tamen
quum periret si pictor animo comprahensam formam
retinens superesset, posset meliori iure iterum delinea-
re quam dominus aut artifex, præscribit enim poten-
tia, digerit prudentia, exequitur effectus. Sic licet tres
personæ una deitas pater, filius spiritus sanctus, con-
struxerint naturam quamuis tamen digestio partiũ co-
euntium pertinet ad imaginẽ patris filium uerbum aut
sapientiam. sic & instaurato ob id ductu spiritus, sancti
uenit uerbum in uirginem, ueluti me loquente ob men-
tis imperium quem alloquor audit quidẽ uerbum sed nõ
cõcipit ullud uerbum quod dico sed id quod significat
ita quum uisum est patri misereri suorum misit spiritus,
sancti uim ad uirginem quo duce per angeli uerba cõ-
ceptum est uerbum dei, & uerbum caro factum est, &
habitauit in nobis. Illud est præcium animarum nostra-
rum sine morte cuius omnes mortui eramus. hic est iu-

ſticia noſtra qui fecit utraque unum hominéque deo iū-xit, ut iuſtiſſimus quodam modo de ſuo capiens ſibi ipſi diſſolueret quod perditum debebat mācipium. complēda iuſticia fuit. mori pro reo oportuit & reſurgere. nā ut dixi redimere, niſi aſſeras ſeruituti obnoxium, relinquere eſt. Oportuit eſſe uindicē aſsiduum à morte, perinde atque ante mortē, qui etiam ſeruum ſeruitute priſca fractum inque uitioſam conſuetudinem tractum illius imperfectionibus conniuēdo ad portū uſque ſalutis duce tamē adiuta à redemptore à libertate, conduceret.

Appendix.

Eiuſdem iuſticiæ eſt, qui male fecerit denuo, aut remediū ſalutis adhibere ſibi noluerit, punire æterna pœna & ediuerſo. Quare reuiuiſcere homines ad pœnam uel præmia æterna oportet ſubiréque iudicium ſeueriſsimū in quo non erit tergiuerſandi aut excuſandi locus.

A ratione maioris perfectionis.

Quum ratione philoſophorum non minus quam religionis ueræ clarum ſit. Nil nō eſſe ab optimo deo factum optima natura: mirum tamen eſt cæcitatem philoſophorum nūquam attendiſſe ad rerum rationes ſublimi quadam contemplatione, qua ueritas ſe magis propalaret. Si cōſtat omnia fuiſſe facta abſolutiſsima natura, conſtat etiam ubicūque uidetur imperfectio & res quæ in malis haberi poſsit aut minori ſit perfectione, nō habere in hoc primam perfectionem. Quum itaque ut ſupra ſæpius eſt deductum hominis cauſa omnia ſint, & ille ſuam perfectionem omnino alterauerit, factus eſt in delictum tam pronus ut triplici legum uinculo uix in

officio possit retineri. Nã quũ nulla gens non habeat leges sacras & earũ magistratus, ciuiles etiã et iudiciarias & actu & potẽtia uigẽtes, adhæc instructionẽ & formationẽ parentũ atq; præceptorũ & literarũ, tamẽ nusquam deest improbitas summa, imo (ut uideatur esse summa nequitia à propria natura) natura peruicaci hominũ, quo sunt plures leges receptæ in rebuspub. lõge plures improbi sunt, illiq; sceleratißimi quoniã sacras leges circumueniendo in suũ cõpẽdium & aliorũ tenuiorum dispendium uertunt. Ex hoc uno miseri philosophi poterãt iudicare hominẽ à sacra perfectione excidisse. At quid mirũ in hac re fuisse hallucinatos, quũ ad uerũ mũdi huius scopum nunquã peruenerint, eo uno defectu quòd nec se, nec causam suã cognouerint. Si enim se nouissent esse tanta improbitate atque erant, deúmq; bonũ maxime credidissent, & omnia finis cuiusdã gratia fieri credẽdo tradidißẽt, proculdubio lux cœlitus illis affulsisset. Quum in inferioribus nil sine causa fieri aut temere produci tradiderint, uniuersum ueluti sine causa factum putauerunt. si enim mundum cuiusdam rei gratia esse factum cognouissent, id statim cuius gratia factum est maius longe & dignius toto mundo iudicassent. Itaque dignitas simul & indignitas humanæ naturæ se illis apperuisset. Dignitas, quod essent digniores mundo, unde etiã finis dignioris caussa factos, nã fines omnes sunt nobiliores medijs ad finẽ, inde necessario naturaliter fuisse ad immortalitatẽ se creatos nouissent. Indignitas in eo se apperuisset quod quũ essent tã excellẽti causa facti, tamẽ ea natura uideretur oĩnoin naturæ si-

bi creditæ perniciē armata,eiusq́; rei interitū procura re cuius maxima oīa cōmoda ad se pertinerēt. Verū uolētes esse sapiētes (ut inquit Paulus) stulti facti sunt, & euanuerunt in cogitationibus suis. Hoībus itaq́; irati & infensi dei nō tātū in eorū improba uita scelestaq́; patet sed in tota humanæ naturæ mole hoc uidetur argumentū. Opus semper est pro cōstātissima fide id haberi: quod deus naturæ parēs & arbiter pro sua immēsa sapientia oīa elemēta et animātia præstātissima, et qua melior nō potest cogitari cōditione fecisset, ut. s. primo in suis naturis probe perfectissimeq́; agerēt, et demū ea abūde de se præstarēt ei in cuius noīe sunt productæ, qbus meliora cogitari nō possūt. Quū eni deus eius quod bonū est cognitionē naturaliter nobis dederit certū est ī obiectu boni nō falli iudiciū nostrū. Hoc enī dedit deus ut cōspecto quouis bono summū perfectūq; esse in deo cogitātes eius fontē boni laudemus. Quū oīa hoīs causa facta sint ut illis bene utens æternus beatusq́; foret, certū est etiā animātiū oīa genera totius noīe cōtineri. Nouimus uero naturaliter id esse cōducibilius & melius homini ut oīa illa innocua et ad nutū obediētia q̄ rebellia et noxia haberet. At nullū eorū nisi propter beneficiū et cicurationē paret naturaliter hoīni licet in eius obediētia fuisse creata cōstet. quare ab obedientia nō tantū recessisse sed etiā in indignationē q̄dā degenerasse cōtra suū imperatorē cōstat. Innocētiā uero imperasse ferissimo animātiū generi cōstare hinc potest, ꝙ sanctissimi martyres dei bestijs fame seminecibus oblati illis imperarunt. Itidē et sancti uiri quum in cetera omnia docuere tū in

ſerpẽtes diriſsimos. Quare oportet fateri deum inſen-ſum peccato hominis, etiam relaxaſſe feris ſuam ſæuitiam ne amplius illi parerent. Pauca, miſeratione commotus deus in uſum miſeri hominis reliquit, quæ tamen ut intelligat id ſe beneficio non prima natura conſequi, ſuas ſpecies agreſtes etiam habent. Nil enim eſt animalium domeſticorum quod non ſylueſtræ reperiatur. terra ipſa mater prorogandæ uitæ etiã lõge abeſt à perfectione. Nam ut perfectißimam cognoſcimus aut illam ſponte omnia nobis producere aut commiſſa non deteriora reddere debuiſſe perfectißimo creatoris imperio iudicamus. Tam maligne uero omnia illi ſuppeditat (ſi reſpiciamus potentiam conditoris & eius perfectißimã in naturam humanam primariamq; beneuolentiã) ut non male ſcripſerint quidam poëtæ: Deus bona laboribus uendit. Perfectißimam igitur obedientiam & cõmoditatem à rebus deus opt. max. uoluit homini adimere, ut ſceleris daret pœnas, iam in hac uita miſer qui æternas ob ſcelus ſuum miſerias ſibi comparauit. Eſſe uero præter naturã infenſam terram hominis laboribus, id potiſsimum probat, quod quæ induſtria humana meliora inter arbores facta ſunt, ut quæ ſunt inſita, terra licet optima ſemina recepit, tamen naturam aggreſtem ueluti hominum peroſa labores reddit & reducit, quũ tamen multa genera dulcißimorum fructuum ſponte ferat. Adferũt quaſdam cauſas quidam philoſophi ab hac diuerſas, uerum nullam aliam credo quàm infenſionem dei in primum hominis peccatũ. tanta infenſio illius delicti ex quo tota poſteritas eſt infecta erga deum fuit,

ut nō tantum authori ob peruerſum naturæ ordinē diſplicuerit, ſed etiam uniuerſæ elementorum & creaturarum moli id graue (& merito) fuiſſe uiſum ſit, illum cuius cauſa totus mundus creatus eſt ita deliquiſſe ut eius authorem uoluerit eſſe nihil. Dicit Theologorum princeps ideo deum maledixiſſe terræ in laboribus hominis quod peccaſſet, & ita imprecaſſe ut uix culta pareret colonis ſobriјs, quod eſt rationi conſentaneum. ad rem ergo. Quum ruſticus poßit inſerendo longe meliores reddere arbores & fructus earum ſuauiores efficere, ille certe eſt multo excellentior, qui plantat purgat & inſerit, quam qui plantat tantum. Nam bonum additū bono totū melius facit. quo autē arbor aggreſtis ſæpius inſeritur, eo meliores fructus facit, quod à natura induſtriæ procedere nō credo, ſed per cultū illā redire ad primā quā dederat deus naturā, uelutiobediētia laboris demulctā ob id credere cogor, quod ſi agreſte in agreſte inſeras, lōge melius reddas. humilitas illa laboris compēſat ſuperbiā admiſſam in dedecus creatoris. Quū itaq; ex genere bonorū ſit, ex una perfectiōē uenire in maiorem, ueluti explātatione in purgationē, et expurgatione in inſitionem, & ex inſitione in multiplicem repurgationem & culturam, hoc deus naturæ humanæ quæ uinea eius eſt, negare nō debuit. Nā quū ſit optimus & perfectißimus beneficentiſsimusque, eius naturæ repugnat quicquam potuiſſe præſtare homini quod non præſtiterit. nam alioqui præterquam quod eius bonum non eſſet ſecundū poſsibile more amici cōmune, etiam præpoſterus uideretur, qui naturæ molem

causa hominis factā ut cernere est diligēter curaret, hominē ipsum qui finis est negligeret. Deus est per omnia optimo agricolæ similis. nil potuit eius uineæ (ut inquit prophetes) facere quin illud fecerit. Possumus ita experiri. Ille optimus agricola optimū semē humanæ naturæ libero arbitrio præditæ in primo homine uno posuit, in quo ideo fuisse naturā deprauatā constat, quòd nullus mortalium extet quin uitijs scateat. In hoc omnes cum primo parente cōueniunt, quòd non fieret eodem modo nisi ab una eademq; natura uitium ueluti ab una eademq; uirtutē hausissent, cuius uotū pœne sine effectu superest in natura. Quum ea uinea naturæ humanæ in labruscam degenerauit, nihilominus agricola optimus (nam nobis erit in hac metaphora deus pro colono, uinea pro homine) contemnendam non duxit sed cultura legis alios, alios pholosophorū aut prophetarū sermonibus formandos curauit. uerum nil aliud quam malum agreste crescebat. quo magis colebatur eo pœne acerbiores fructus uinea reddebat. Inserenda fuit antequā ad pristinam rediret naturam. Inserenda fuit optimo inserēdi genere. Nam licet quicquam iuuet inserere agrestem arborem in agrestem (ut homines Iudæos Mosaicæ legi) tamen longe præstantius & perfectius fuit cum imperfecto trunco sterilique et acerbæ naturæ iūgere emblema uegetioris et sublimioris naturæ ut tunc nō acerbos sed optimos fructus produceret. Sublimiorem homine naturam corpoream ad reparandam humani delicti acerbitatem non licebat reperire. Nouo opus fuit mysterio nouo surculo, in quo esset ea succi

gratia quæ totam acerbitatẽ ablegare, nouumq; saporẽ indere posset. Nulla natura præter solum deum potuit humanæ amaritudis acerbitatẽ temperare. Opus ergo fuit surculum secundarium diuinitatis adimi à sua natura & nostræ iungi, et demum per mortem abscindi antequam fieret insitio. Factus homo deus est ut homines deos faceret. In mortem Iesu Christi soli inserti ferre fructum ualent, non ratione trunci sed ratione emblematis. Hoc fuit summa perfectione summi unitoris dignum, ut potius nouo composito mortem patiendo abscinderetur, et insereret sibi uineam, quã quòd est absolutißimum non præstaret. In hoc differt ea insitio ab ea quæ est in arboribus, quod per truncum uetustum succum capit planta terræ infixa. At homo quia est arbor inuersa & cœlesti origine ab emblemate cœlesti fructibus cœlestibus repletur à cœlesti surculo aut trunco potius. Nam quẽadmodũ arbor euersa est ita inseritur euerso modo & fit surculus fructifer q erat trũcus acerbitatis plenus. Surculus enĩ trũcus est & trũcus surculus. Hoc est summæ perfectionis opus potius mori et omnia grauißima subire quã summã perfectionẽ quãtũ in se est illi nõ dare. Nã hæc uitis per liberũ arbitrium potest aut nõ inseri, aut insito nõ adferre fructũ, aut adferre, sed acerbũ. nã fructus uolũtatis est. opus est ut fructus ad bonitatẽ habeat trũci aut gẽmæ succũ, alioq nil prodest imo plurimũ obest ĩsitio, succus est sũmus amor et charitas uolũtate ĩfinita, hãc unã potest homo et fratri suo & deo producere. hoc est naturalis perfectiõis mysteriũ. Hæc est per oĩa rñdẽs summæ bonitatis diuinæ

in suam uitam naturam humanam cultura. Impossibile erat uitam ad primam naturā sine insitione reduci. Impossibile est sine hominis dei iusticia quæ & pro peccatorum nostrorum infinita acerbitate luat, & fructus iusticiæ restituat, hominē in eum scopum uenire in quē creatus erat, alioqui poterat aliquid perfectionis à deo desyderari in homine, nisi per omnia eius actio & cura respondisset absolutißimæ culturæ uulgo à colonis uinitoribusue fieri solitæ & tanto magis magnitudine superaret, quanto homine maior est deus. In spem fructus & prouentus sudores proprij corporis toto uitæ tēpore colonus impendit. At homodeus & sudores & seipsum ut deo ferremus fructū dare uoluit. Quū uero est insita uinea & à ueteri amore liberata, ferre fructū incipit, etiā tunc diligentißime solet à colono coli, propagari, purgari defendi. Nam nulla est tam perfecta insitio, quin si desit agricola degeneret, inque feritatē pristinam redeat. Eam obrem Iesus noster remedia repurgandi & ab iniurijs omnibus suam uineam defendendi reliquit. Illam repurgat pœnitētia sordium irrepentium. Munit ipsißimus agricola qui solus potest mirabili sacramento illam ad finem usque seculi per præsentiā corporis sui sibi proxime uniens. O sacrosancta agri cultura & nostræ uitæ perfectio. Appendix.

Præter eas operas quas perfectus uinitor in colenda, purganda, fodienda, putāda, propaganda, atque inserenda impendit eius etiam propaginem diutissime durare latissiméque patere, in primis curat: maxime si illa laudem illi ueluti cultori est ubicunque erit allatu-

ra. Proprium domini id est, rei quam uehementer curamus (nisi in auaritiam) ut latissime patere diuturnaque esse maxime esse cupiamus. Hoc docent nostra in edificando uota aut in quibusuis rebus studia. momentaneum enim fugimus diuturna omnia quantum potest fieri cupimus, hoc item maxime in liberis, amicis, subditis quos bene esse diutissimæ precamur & omnibus uotis optamus, quo uoto quum omnes conueniāt homines et sit laudabile secundumque naturam, a deo nos habere certum est. Hoc idem deum de natura humana uelle cuius causa opus & cura mundi est ab eo suscepta non est ambigendū, Nam unumquodque maxime tale est quod maxime tale facit. nos porro docet deus diuturnitatem & nobis & nostris rebus optare. Quum uerò uoluntati dei omnia obsequantur, nos autem uelit æternos, certum est æternos fœlicißimósque nos in solidū futuros si boni fuimus, infœlicißimos si malos. Licet autem absoluta beatitudo in animo omnia in deo cognoscente consistat, tamen ut totus homo qui corpore obsecutus est animo in bonum uel malum, etiam totus et nō partim sit fœlicitatis particeps, opus est resurrectionem omnium hominum fieri, corpusque rursum animo iungi. & quia nunquam est uera quies & fœlicitas ubi malum bono admixtum est, Ideo iudicio dei discutientur omnium facinora, ibuntque qui bona fecerunt in resurrectionem uitæ æternæ, in pœnam æternam qui impie & sine amore dei bonis operibus ornato uixere, inque æternā trāsituri sunt calamitatem. Is est extremus huius uitæ actus, illa catastrophe.

Prudentißimi simul & sapientißimi est prudentißime inq; finem præstantißimũ agere, ordinatißimáque facere & media ad fines & finem postremũ. Deus mundi arbiter & author finem mundi ponens hominem & seipsum hominis, ut satis est supra declaratũ, ita ordinare debuit ut quicquid obstans fini postremo contingeret illi medelam & emendationẽ iam ab æterno constitueret. Quũ sint illi ut præsentia perinde nota futura, hominem in libero arbitrio constitutum per peccatũ præsciuit casurum à scopo nõ æternitatis sed fœlicitatis. Quum casurum sciuerit eiusq; debitum fore infinita & extra creaturæ potentiã posita pœna dignum, futurum constituit ut deus homo fieret, deus de deo uidelicet, uerbum & sapientia patris quandoq; in subsidium perditi hominis nostros errores miseratus fieret homo, ut per infinitatem diuinitatis iunctæ naturæ humanæ finitudini, satisfactionis lex iuste seruaretur. Sic necessario præuidit prouidentia, et ita necessario futurum erat & factum oportuit. Nam alioqui frustratus fuisset ordinatis conatibus deus. Nec enim homo qui manifesto uidetur esse tam deprauatus ut multi ne sentiant quidẽ suam miseriam, unquam per alterum hominem in iusticiæ ordinationisque legem potuisset regredi et immortalem fœlicitatem consequi. A quo creatus est mundus, æternus necessario fuit homo, at fœlix esse nunquam potuit nisi per quem fœlicitatem promißione et ordinatione acceperat per eundem in eius uiam repedaret. Factus est igitur homo deus æternam & temporariam

in se generationem habens pariter Adami & posteritatis. Iesus itaque nomine lapsi hominis pœnas & afflictiones immensas in se innocentißimũ recepit ut in eo caro innocens pro nocẽte lueret. Nam si iam nocens fuisset ea caro uix satis habuisset suo nomine persoluere. Quum itaque ille ordinis & iusticiæ rigor & seueritas summã afflictionem quantum naturæ toti potest inferri exposceret, nullus est mortalis qui iusta æstimatione labores uitæ paßionisque Iesu Christi perpendere posset. Ita opus erat deum quo nil maius est conditionem qua nil in natura imbecilius est sibi iungere, & ea propter infinitum dei in creaturam humanam amorem pateretur quæ carerent exemplo. Morte itaque mortem nostram sustulit, reuictione iusticiã deperditam nobis in eũ credentibus baptismoque ablutis reddidit, & in uiã ad quã iam ab æterno ordinati eramus reduxit.

Corolarium.

Si animus tantum hominis frui hoc mundo debuisset aut ex solo animo constitisset homo & per solum spiritum peccasset, satis alio modo fieri potuisset, uerum quum pœna et præmium sint primo ordinata ante uitã, solidum hominem præcepturum illa fore constat: ut fœlicibus nil mali admixtum: infœlicibus nil boni futurum sit quare post resurrectionem more IESV CHRISTI factam sequi oportet iudicij examen in quo & anima & corpus una prout gesserit receptura sunt quo in æternum potiantur. O Vocem æternitatis horrendam cum supplicio iungetur. O ferrea corda quæ eo terrore saltem non mouentur quum non mo-

ueat offensi domini amor. articulus doloris uix potest à nobis ferri, & ob infinita nostra scelera nō timemus æterna supplicia? O fœlicem ediuerso illam æternam fœlicitatem in qua infinitis animus perfunditur præmijs. Sic ordo debite iusticiæ seruatur ab æquissimo deo, nostras miserias tandiu expiante quandiu in hac uita instaurato per Christum arbitrio cum amore dei et charitate proximi uti licet. falso sperat salutem qui nunquā amore in saluatorem fertur.

A perfectione cognitionis nostræ.

Amore dignissimū esse summum benefactorē nemo nisi plane sensu cōmuni destitutus ambigit. Nam alioqui eius dubium soluere illi possent fere omnia animantia in beneficum grata. unde apparet quisquis summi amoris erga creatorē affectu destituitur & contra eū fertur amore proprio cecutiens eū esse deteriorem brutis animantibus. Amor uero sequitur cognitionem. nam nisi quis cognouerit quem amet amare nō potest. si cognitionem sequitur amor & dilectio ut certe sequitur oportet maiorē beneficij cognitionē, maiorem etiā amādi affectum ingenerare. Nullus potest nisi uolēs & impius ignorare deum, ita nec non amare si aliquod gratitudinis aut humanitatis affectu teneatur. Cū itaque cognitio sit principiū amandi, & eo magis crescat amor quo magis crescit cognitio amati, cōstat quum deus ob sua in nos beneficia summæ à nobis amari uelit, etiam se nobis manifestare uelle quam maxime possibile est. Quia uero noster intellectus, licet sit cōsequutiue infinitarum rerum capax, non tamen potest una multa cō-

præbedere: ideo deus ſenſim inſtillando ſuam in nos beneficentiam magis illam facit cognoſcere, quam ſi unà quæ in nos contulit menti in cumulum obijciendo, animū potius multitudine obrueret quam cognitionē diſtinctā generaret. Mitto dotes mundi nobis in uſum propoſiti, taceo corporis præclara munia in quibus quiuis conſeneſcat potius uel ad Dandonis annos, quam omnia per ſingula æſtimet. Vna nos obruere uoluit deus beneficentia illa omnibus mortalibus cōmuni. Quū animus cuiuslibet hominis ſit quarumlibet uirtutū capax earūq; habeat igniculos, amores & iudicia certa, quid bene uidelicet quidue ſecus ſit iudicando, tamen deus ut uirtus magis conſyderetur ametur & charior habeatur, uult illā ueluti ſopitam, ſenſim per ſcintillas excitari & per exercitationē in habitum deduci, ut chariſsima habeatur, quoq; magis eluceſcere incipiet & à poſſeſſore amari et ab admiratoribus laudari debeat. Nā quia uitæ pulcherrimum munus eſt uirtus, ideo ſigillatim illam uult in ſingulis hominibus diſtribui. Sic deus uolens ſuā maieſtatem ſenſim donec ad infinitum beneficiorum cumulum ueniatur aperiri homini, quibus maxime modis debuit aut uoluit potius ſe oſtendit. primò in creatione uidetur quantam curā noſtri habuerit quum antequam eſſemus noſtri curam habuerit, noſque nobis ad fruendū mundū dederit ut in laude eius in eo uerſemur. Patuit latiſsime eius beneficentia in opere utriuſque creationis & donationis liberi arbitrij, quo poterat homo bene uel male agere. Patet maxime mali hominis et qui ab eius lege deflexit cura, tam in natura ſimplici quā in

intellectuali. Nam natura simplex non minus benigne hosti homini quam amico patuit. Intellectuale remediũ adhibuit inspirationibus, prophetijs, legibus, doctrinis & cæteris quibus à malitia deflectere ita poterat homo à solito peccato, ut per mediatorem futurum salutẽ consequi posset, se præparando illi. Magnus iam est iste cumulus. Verum licet in illis omnibus dei maiestas & beneficentia latißime pateret, tamen quia uasa erãt infecta malo ingratitudinis, obliuionis & cõtemptus, ideo dei natura non poterat uideri, eo amentiæ uenit mortalitas ut accepta beneficia referret creaturis, falsis religionibus omnia corrumpentibus. Tũc deus omnipotẽs ut denuo & ardentius quam antè posset amari, uoluit nostro corpore induere eam naturam quæ per se est inuisibilis, ut quatenus liceret illam sensibus concipere & agnoscere laudareq́; homo omnino deprauatus & morti eternæ ob peruersum æternum bonum obnoxius posset. Vt autem merito nouo argumento ueluti spretis ob copiam & familiaritatem uetustis muneribus posset perpetuo agnoscere laudare & amare, nomine hominis homo deus factus Iesus Christus uitam propriã dedit pro eo quem creauerat olim à seueritate iusticiæ redimendo inque pristinam libertatem asserẽdo. Ex eo facta est maior dei & eius beneficij cognitio, unde amor maior debet procedere. Est itaque præstantius deóque dignius perfectiorem cognitionem sui dare cum nouo beneficio quàm si semel tantum apparuisset. Sic factum est ut beneficium incarnationis & mortis ideo uincat creationem quod in creatione promißio in redemptio-

ne æterni boni addictio data est: ut autem in infinitum procedat specimen amoris diuini tunc latißime patebit quum in uitam æternam receptis corporibus introducētur boni, mali in pœnam. Perfectio itaque illa iam ab æterno in mente diuina existens (ueluti in animo uirtutes) in potentia se ueluti sensim aperiendo maiorē semper perfectiorem cognitionē nobis intulit quo ad ueniamus ad resurrectionem ubi beneficia non secus quā munerarius athletaque erunt infinita per æternitatem. Vnde hæc tanta fœcunditas argumentorum ad rem hactenus tam abditam & simplici fide receptam se offerat, nō possum non admirari. Si enim uoluero in similibus inductionibus persequi, nulla est in diuina bonitate proprietas, nulla in natura notio, nulla in homine perfectio, quin ab eius contēplatione poßim demōstrare necessariā fuisse saluti humanæ, perfectioniq; totius hominē deo per naturā iungi, unicoq; cōposito colophonē orbi imposuisse

∴

FINIS.

Néel, Curé d'orgeval./.

